Notizie Letterarie, et Istoriche di Giuseppe Cito

Egidii Menagii Amoenitates Juris Civilis

Georg Brunckulbergii Memoriale Juridicum

Samuelis Puff. Specimen controversiarum circa Jus naturale ipsi nuper motarum

Storia della favola del Sig.r de Cavaux tradotta dal Franc.

Autori Capo Ferrariense

Ludovico Tomasino

Giovanni Filosaco

Pareglio Ruberto

Luitprando

Dachyrio Hist. Aquitaniae

Rainaldo Ann.

Gonzalez, Cochier, Barbosa, Varregues

Marco Varrone

Sigonio

Telepoa de origine Parochiae

Consolato del Mare libro che contiene leggi maritime. Questa compilazione fu data alle stampe in Venezia da Andrea Gio. Batta. Pedrezano nell'anno 1549

SYNODUS

DIOECESANA

SYNODUS
DIOECESANA

Ab Illustrissimo, & Reverendissimo Patre, ac Domino


FR. FELICE LEONI

Sanctæ Abellinensis, & Frequentinæ Ecclesiæ Episcopo, Solioque Pontificio Assistente.

Abellini in Cathedrali Ecclesia celebrata die XI., *Frequenti die* XV. *Augusti* MDCCXLVIII. *Præsulatus Anno* III.

SUMMO PONTIFICE

BENEDICTO XIV.



NEAPOLI, M. DCC. XLIX.

Ex Regia Typographia Seraphini Porsile.

Superiorum Permissu.

EMINENTISSIMO SIGNORE;

IL Vescovo d' Avellino umilmente inchinato a V. E., ossequiosamente l' espone, come desidera promulgare, e publicare il Sinodo nelle sue Diocesi d' Avellino, e Frigento: supplica pertanto V. E. degnarsi commetterne la revisione a chi meglio stimerà, e l' averà a grazia ut Deus, &c.

U. J. D. Dominus D. Carolus Gagliardus in Lyceo Neapolitano Juris Canonici Professor revideat, & referat. Datum Neap. hac die 30. Octobris 1748.

C. EPISCOPUS CAJACEN. VIC. GEN. DEP.
JULIUS NICOLAUS EP. ARCAD. CAN. DEP.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. DOMINO

Synodales Constitutiones ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Abellinen: & Frequentino, quem mores ac litteræ satis commendant, promulgatæ nedum peculiarem illarum Dioecesum disciplinam tradunt, & corruptelas ibidem inolitas reformant; sed communes etiam Ecclesiæ Romanæ, quæ Mater ac Magistra omnium Ecclesiarun est, regulas, quibus valeant Clerus populusque Abellin. & Frequentinus fidem & politiam suam cum indubiis dogmatibus, probatisque moribus conformare. Et ita fiet, ut iidem Evangelicas & Apostolicas Doctrinas

ac

ac dispositiones, quæ ad nos usque pervenerunt, manibus Præsulis sui, Apostolorum Successoris, traditas obsequenti animo accipiant, inanesque fabulas prædicantium, qui a Domino Nostro missi non sunt, procul devitent. Eas proptera petito E. V. beneficio, publica scilicet prælorum luce dignas autumo, nisi aliter acriori judicio vestro videbitur. Et manus E. V. humillime deosculor. Neapoli nonis Februariis anno Æræ vulgaris MDCCXLIX.

E. V.

Humillimus & Obsequentiss. Famulus
Carolus Gagliardus.

Attenta ralatione Domini Revisoris Imprimatur. Datum Neapoli die VIII. *mensis Februarii* 1749.

C. EPISCOPUS CAJACEN. VIC. GEN. DEP.

JULIUS NICOLAUS EP. ARCAD. CAN. DEP.

S.R.M.

S. R. M.

SIG.

IL Vescovo di Avellino umilmente inchinato alla M. V. ossequiosamente l'espone, come desidera promulgare, e publicare il Sinodo nelle sue Diocesi di Avellino, e Frigento secondo la copia, che umilia alla M. V. Supplica per tanto la sua Real Clemenza a degnarsi di permettergliene la publicazione, che &c.

Admodum Rev. U. J. D. D. Carolus Gagliardo in hac Regia Studiorum Universitate Professor in Cathedra Decreti, revideat, & in scriptis referat. Neap. die 6. mensis Augusti 1748.

C. GALIANUS ARCHIEP. THESSAL.
CAPPELL. MAJOR.

S. R. M.

QUum Synodales Constitutiones in Diœcesibus Abellinen. & Frequentina promulganda de imperio M. V. jam perlegerim, nihil sane in ea offendi, quod Ecclesiasticam turbare disciplinam, aut jus publicum, & Regis lædere ullatenus valeat: quinimo omnes Sacris Canonibus, receptisque moribus consentaneas; prætereaque concordantes comperi cum altero sumto reformato, quod apud Secretarium Regiæ Vestræ Jurisdictionis custoditur. Non est proinde, mea sententia, quam supremo, acerrimoque judicio submitto, cur publici juris fieri nequeant. Neapoli die 7. Augusti 1748.

M. V.

Humillimus Subditus
Carolus Gagliardus.

Die

Die 8. Augusti 1748. Neap.

Viso Regali rescripto sub die 7. currentis mensis, & anni, ac relatione facta per Rev. D. Carolum Gagliardo revisorem ordine S. R. C. de commissione Reverendissimi Regii Capellani Majoris.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod Imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, & approbationis dicti revisoris, & in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum

DANZA PRÆS.	CASTAGNOLA.
ANDREASSI.	QUATTROMANI.

Ill.Marchio Fraggianni tempore subscriptionis impeditus.

Reg. fol. 23.
La Rocca.

Mastellone.

EDICTUM

Convocationis Diœceſanæ Synodi.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.

FRATER FELIX LEONI a Juvenacio Sacræ Theologiæ Magiſter Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ex-Generalis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Abellinenſis, & Frequentinus.

JAm tertius vertitur annus, ex quo Nos Divina diſponente Providentia, Sanctæ Abellinenſis, & Frequentinæ Eccleſiæ Miniſterio admoti, in animo gerimus Synodalem habere Conventum, quo collapſam Eccleſiaſticam diſci-

plinam erigere,pietatem,religionemque promovere, quantum imbecillitas noſtra ferret, curaremus. Videbamus veluti ex alta ſpecula rem Divinam tepore ubique langueſcere, mores faſtu, avaritia, fraude, aliiſque non tam criminibus, quam monſtris labefactari; ſed alio a Paſtorali ſolicitudine vocati noſtra celebrandæ Synodi deſideria in opportuniora tempora conjecimus; licet impendentibus Gregi noſtro malis, priori Viſitatione abſoluta, publicis Edictis, privatiſque exhortationibus obviam ire ſategimus. Cum autem ſeſe nunc dederit occaſio, qua pacifica ſunt, & tranquilla omnia, præconcepta vota

haud

haud diutius differenda censuimus; ut Nobis in unum coeuntibus, collatisque inter Nos consiliis, quæ demum ad animarum salutem, Clerique disciplinam, ac Divini cultus incrementum, & totius Diœcesis reformationem pertinent, decernantur. Videmus tempora, agnoscimus difficultates, quæ Nobis ex perditissimorum hominum pravitate supersunt; sed quia scriptum est (*a*): *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*: Dei auxilio, & misericordia freti omnia superaturos speramus.

Quapropter ad Omnipotentis Dei gloriam, Deique Matris sem-

a 2 per

(a) *Psal.* XXXVI. *v.* 5.

per Virginis Mariæ, SS. Modestini, & Marciani, omniumque Sanctorum utriusque Ecclesiæ, & Urbis Protectorum, primam nostram Diœcesanam Synodum Episcopali, qua fungimur, auctoritate habendam, & celebrandam omnibus indicimus Abellini die XI., & Frequenti die XV. Augusti currentis anni 1748.

Omnes proinde ac singulos dilectos Nobis in Christo, Capitulum, & Canonicos utriusque nostræ Cathedralis Ecclesiæ, necnon Collegiatarum Canonicos, item Parochialium, & quarumvis Ecclesiarum, ac Locorum nostræ Diœcesis Archipresbyteros, Rectores, Presbyteros, Clericos; &

alios

alios quoſcumque, qui de jure, vel conſuetudine huic noſtræ Synodo intereſſe debent, monemus, & hortamur, eiſque etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub Excommunicationis, aliiſque Cenſuris, & pœnis a jure, vel a conſuetudine in Synodis Diœceſanis ferri, & infligi ſolitis, præcipimus, ut legitime, & canonice non impediti, per ſemetipſos, vel probato impedimento, per ſpeciales Procuratores, eidem hora matutina diei deſignatæ, in reſpectivam Cathedralem Eccleſiam convenire, adeſſe, & intereſſe debeant; nec ab ea diſcedant, niſi Synodo abſoluta.

Ut autem id exactius ad Om-

nipotentis Dei laudem, & gloriam perfici queat, omnes enixe in Domino obsecramus, ut post indictam hujus Synodi convocationem, usque ad ejus dimissionem, jejunio, & orationibus a Patre luminum auxilium Nobis impetrent, & seipsos Deo acceptabiles hostias exhibeant.

In quorum omnium, & singulorum fidem hoc nostrum Edictum manu nostra subscriptum publicari, & utriusque Cathedralis Ecclesiæ, aliarumque Parochialium Ecclesiarum valvis, locisque solitis, & consuetis affigi jussimus, ibique affixum manere, ut ita omnes, & singulos, quorum interest, afficiat, ac si cuili-

bet

bet ipſorum fuiſſet perſonaliter intimatum. Datum ex Palatio noſtro Epiſcopali v. Idus Auguſti anno MDCCXLVIII.

F. FELIX LEONI EP. ABELLINENSIS, ET FREQUENTINUS.

Matthæus Canonicus Negri Cancellarius Epiſcopalis.

CONSTITUTIONES

E T

D E C R E T A

Primæ Diœcesanæ Synodi

Ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino

FRATRE FELICE LEONI Episcopo Abellinensi, & Frequentino celebratæ

ANNO DOMINI MDCCXLVIII.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.

NUmquam Ecclesiæ rebus melius consultum fuit, Fratres in Domino dilectissimi, quam dum Venerabiles Sacrosancti Concilii Tridentini Patres singulis annis Diœcesanas Synodos ab Episcopis singulis cele-

bran-

brandas sanxerunt. Noverant enim vigilantissimi Præsules malis omnibus Christianæ reipublicæ quovis tempore impendentibus Synodorum repagulo obviam itum fuisse: etenim exorto Antiocheno Schismate de legalibus cæremoniis abolendis ne, an retinendis, id nullo alio opportuniori remedio sedarunt Apostoli, quam omnes in unum convenientes, quid potissimum Christianæ plebi expediret in medium consulerent. Quæstionem de Paschatis celebratione moventes Asiaticos Presbyteros Synodico Conventu compescuit Victor Papa. Africanis Synodis repressa est Libellaticorum audacia. Illiberitano Concilio restaurata est collapsa Ecclesiastica

disci-

disciplina, & Divinis rebus decor, & sanctitas restitua. Verbo rem totam absolvimus, Apostolorum magisterio edocti quotquot inde secuti sunt Ecclesiæ Patres, coactis pro temporum opportunitate Conciliis, pullulantes Hæreses, abusus quoscumque vel in herba compresserunt, vel radicitus amputarunt; ideoque hac spe bona erecti, & confirmati Tridentini Patres quotannis Diœcesanas Synodos celebrari mandarunt; ne in posterum inimicus homo in agro Domini zizania seminaret, neve abusus aliquis bonos mores corrumperet.

Et utinam saluberrimum hoc mandatum ubique sancte executum fuisset! haud elapsis duobus

secu-

ſeculis tot in Eccleſia pullulaſſent errores, nec unquam adverſis ſtantibus ventis Petri Navicula perculleretur. Nam licet peregrinis doctrinis, noviſque figmentis non jactatur, fœdatur tamen tot nefandis flagitiis, ut ea, quæ paſſa eſt ſub Gentilibus Imperatoribus, ab Hæreticis, ſive Schiſmaticis, vel ab aliis quibuſcumque perſecutoribus, horum comparatione luſus quodammodo puerorum æſtimanda ſint, imo referenda in lucrum, & emolumentum. Omnia redolent faſtum, ambitionem, avaritiam, fraudem, perjuria, luxum, libidinem, totamque pene vitiorum lernam. Puppis ſunt Eccleſiaſtici portentoſa Eccleſiæ capita: & ſi

et in his malis prora et

in

in capite ita ſe res habet, quid non timendum in membris? *Habemus Legem, habemus Sacros Canones, habemus Decreta, quibus exundantia mala damnantur; ſed quid proſunt, ſi in deſuetudinem abierunt, & pro oppoſita conſuetudine decertatur?*

Obtentu ſimili in Eccleſiam inſurrexerunt olim Donatiſtæ, ut ſuam de Rebaptizatione ſententiam tuerentur. Damnati fuerant, atque confoſſi Nicænis fulminibus, Imperialibus Edictis multabantur exilio, aliiſque pœnis, ubicumque de Hæreſi convicti erant, vel eam palam profitebantur. Benigne tamen recipiebantur iiſdem honoribus, quos apud ſuos obti-

nue-

nuerunt, qui ad Ecclesiam redibant; & nihilominus contumaciam augebant indies, plebem suis partibus additam in Catholicos Præsules commoventes; ita ut gemens cum Ecclesia doleret Augustinus (a), circumdederunt me canes multi pro consuetudine, non pro veritate latrantes. *Indicta est demum celebris Carthaginiensis Collatio, ad quam convenire recusantes vaferrimi homines, pœna capitis coacti sunt; & cum Marcellinus Africæ Proconsul, auditis Augustini rationibus, illisque rite perpensis, in gratiam Catholicorum sententiam dixisset, qui perduelles remanserunt, sicut*

antea

(*a*) In Psal. xxi.

antea jactaverant, Stilichonis invidia, non Imperatoris voluntate inflictam ipsis fuisse exilii pœnam; effutierunt deinde Marcellinum pecuniis corruptum a Catholicorum parte stetisse (ita ira expleri solet ab iis, quibus caussa deest). Mala consuetudo, *inquit Nicolaus I.* (a) non minus, quam perniciosa corruptela vitanda est, & nisi radicitus evellatur, in privilegium ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes, & vanæ præsumptiones celerrime non compressæ pro legibus venerari, & in privilegiorum jus perpetuo celebrari.

Quam ob rem ut abusus quoscum-

(a) Apud Grat. Dist. VIII. cap. 3.

cumque, & corruptelas, quæ perditissimorum hominum licentia, & pravitate in Gregem nostrum irrepserunt, evellamus, decernamusque ea, quæ Ecclesiasticam decent sanctitatem, hanc primam Diœcesanam Synodum, quam hodie celebrandam indiximus, ad Omnipotentis Dei, Deique Matris semper Virginis Mariæ, Sanctorum Modestini, & Marciani, omniumque Sanctorum utriusque Ecclesiæ, & Urbis Protectorum honorem, laudem, & gloriam apertam esse volumus: ac proinde ea, quæ in ipsa sequuntur, mature & diligenter perpetuo servanda statuimus, decernimus, & publicamus *sub pœnis suis in locis*

taxan-

taxandis, Deum & Dominum no-ſtrum Jeſum Chriſtum humiliter deprecantes, ut cogitemus, eo inſpirante, quæ recta ſunt, & eo gubernante, eadem faciamus.

TI-

TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

1

ETsi Fides, quam Divina favente clementia profitemur, basis sit, & fundamentum, ac radix omnis nostræ justificationis; nam *sine fide impossibile est placere Deo* (a): ad consortium tamen filiorum Dei non pervenimus, nisi posito fundamento superædificemus probatæ dilectionis aurum, & pretiosos piorum operum lapides; alias thesaurizamus nobis iram in futuro: dicente Domino (b), *qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Postquam itaque miserantis Dei gratia catholicæ Fidei munus accepimus, quod nec assecuta est idololatrarum Gentium Religio, nec Atheniensium Philosophorum assidua con-

A tem-

(a) *Apost. ad Hebr.* XI. *v.* 6.
(b) *Lucæ* XII. *v.* 47.

templatio, id vivida ſpe, charitate flagranti, cæteriſque bonis operibus conſummare oportet, ut quod firmiſſime c redimus, tandem facie ad faciem intueamur.

2 Et quoniam Fide creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem; ideo Concilii Tridentini Decreto (*a*) inhærentes, Fidei profeſſionem, quam ſub certa formula edidit Pius IV. emiſimus, eamque juxta ejuſdem Tridentini præſcriptum, præcipimus, ut emittant,

3 Clerici omnes de Beneficiis proviſi, aut ſacris Ordinibus initiati in Diœceſana Synodo celebranda;

4 Dignitates, & Canonicatus obtinentes poſt adeptam poſſeſſionem cum in manibus noſtris, aut Vicarii noſtri Generalis, tum in Capitulo infra bimeſtre;

5 Beneficia cum animarum cura habentes, necnon obtinentes quæcumque alia Beneficia poſt ipſorum poſſeſſionem infra dictum tempus in manibus noſtris tantum, vel Vicarii noſtri Generalis; alias tam ipſi, quam Dignitates, Canonici, & Parochi non faciunt fructus ſuos;

6 Item illam emittere tenentur Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, Procuratores, & Promotores Fiſci Epiſcopalis, Cancellarii, cæterique Miniſtri ejuſdem Curiæ;

7 Novi Concionatores, etiam Regulares, novi Confeſſarii, etiam Monialium, necnon omnes

(a) *Seſs.* XXIV. *cap.* 12.

nes Ecclesiastici nostræ Jurisdictioni subjecti, qui publice, vel privatim Theologiam, aut Philosophiam, Jus Canonicum, aut Civile, inferioresque disciplinas, etiam Grammaticam docent.

8 Cum vero Episcopus triplici cibo pascere debeat oves sibi concreditas, verbo scilicet, exemplo, & Sacramentis; cumque Sacramenta inter *Baptismus*, & *Pœnitentia* necessaria sint ad salutem necessitate medii, ut ajunt Theologi, idque credere teneamur, & profiteri, post Fidei professionem de Sacramentis agamus, oportet, acturi deinde de Sacramentorum Ministris, ac de Vita, & Honestate Clericorum.

TITULUS II.

De Baptismo.

1 Conditor ac Reparator noster Christus Jesus cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, absoluto humanæ Redemptionis opere, ex ejus latere Sacramenta emisit (*a*), quibus nos, tanquam tot dilectionis suæ argumentis excitati, ad eum redamandum raperemur. Est autem Baptismus Sacramentorum omnium janua (*b*), per quam ad Cristianam vitam ingreditur: est & clavis (*c*), qua obseratas Paradisi portas filiis suis

A 2 pan-

(a) *Aug. Tract.* cxx. *in Joan.*
(b) *Bonifacius VIII. cap. de cognat. spiritual. in 6.*
(c) *Nazianz. Orat.* xi.

pandit Ecclesia; etenim originaria labe polluti, per quam jus amisimus ad æternam hæreditatem, hoc Sacrosancto lavacro novum hominem, qui secundum Deum creatus est, induimus, & cœlestis Regni hæredes efficimur. Quapropter jure ac merito Sacrosancta Tridentina Synodus (*a*) anathematis pœna perstrinxit eos, qui Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem asseruerunt.

2 Ordinarius Baptismi Minister est solus Episcopus, inquit Tertullianus de Baptismo cap.17. *Dandi Baptismum jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus*. Hinc factum est, ut olim in qualibet Civitate unum extaret Baptisterium, idque vel prope Cathedralem, vel in ipsa Cathedrali Ecclesia, in qua omnes Sacris undis tingebantur (*b*). Hujus antiquitatis vestigium Florentiæ etiam hodie invisitur; ea enim in Civitate e regione Maximi Templi est Ecclesia rotunda S. Joanni Baptistæ Sacra, quæ Baptisterium vulgo vocatur, in quo Florentini omnes Baptismi lavacro mundantur.

3 At multiplicato Fidelium numero, cum Episcopi in partes curæ Pastoralis Parochos assumpsissent, plus, minusve de propria illis communicando potestate, plura in una eademque Civitate construi cœperunt Baptisteria, in quibus tan-

(a) *Sess.* VI. *cap.* 4.
(b) *Onuph. Panvin. Lib. de præcip. Urbis Basilicis cap. de Baptist. Lateran. & Lupus de appellat. Aphr. cap.*28.

tanquam ordinarii Ministri, Parochi quoque baptizarunt. Unde, inquit, Rituale Romanum, solemnis Baptismi Ministrum *esse Parochum, vel alium Sacerdotem a Parocho, vel Ordinario loci delegatum.* Quapropter nullus Ecclesiasticus Parocho contradicente baptizare audeat, alias pœnam dabit duodecim ducatorum pios in usus erogandorum.

4 In casu tamen necessitatis, id est dum Infans in vitæ periculo versatur, Minister Baptismi est quilibet homo; quo in casu Rituale Romanum præcipit, quod si plures adsint, qui Baptismum ministrare possint, ordinem inter illos servandum esse: *Si adsit Sacerdos*, inquit, *præferatur Diacono; Diaconus Subdiacono, Clericus laico, vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius, quam virum baptizare Infantem non omnino editum, vel nisi fœmina melius sciret formam & materiam baptizandi;* quod in Obstetrice contingere potest. Quare curent Parochi, ut Obstetrices formam sciant & materiam Baptismi, ne forte necessitate cogente, aut Infans absque Baptismo decedat, aut invalide illud suscipiat. Provincialis Synodus Meclinensis II. omnes hortatur Magistratus locorum, ne quam mulierem ad parturientes obstetricandum mittant, nisi prius a Curato loci, ubi Obstetrix moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ Fidei habeat, necnon materiam formamque Baptismi testimonio ejusdem Curati probe calleat.

5 Si vero nulla urgeat necessitas, numquam

domi

domi baptizandi ſunt Infantes. Concilium enim Viennenſe in Clement. unic. de Baptiſmo prohibet, ne in privatis domibus Parochi, aut alii ſine expreſſa Epiſcopi licentia Infantes baptizent, ſed in Eccleſiis, in quibus extant Fontes Baptiſmales; quod & Nos vetamus Eccleſiaſticis omnibus ſub pœna decem ducatorum piis uſibus &c.

6 Hortentur Parochi Infantium Parentes ad feſtinandum eorum Baptiſmum, nec illud ultra viginti quatuor horarum ſpatium protrahant; quia interdum fit, ut Infantes ſubito accidenti correpti ſine Baptiſmo decedant, & Regno Dei priventur. Quod ſi Parochi negligentia Infans aliquis ſine Baptiſmo deceſſerit, erit per annum cura animarum ſuſpenſus, & pœnam dabit decem ducatorum piis uſibus.

7 Admoneant præterea Suſceptores Infantium, qui *Patrini* dicuntur; quod cum ipſi ſint, qui Eccleſiæ nomine, & in Eccleſiæ Fide parvulos offerant per Baptiſmum, ac ſe propemodum pro illis fidejuſſores conſtituant, eorum nomine reſpondentes, teneri, poſtquam pueri adoleverint, eos ſymbolum Apoſtolorum, & orationem Dominicam edocere, ac hortari, ut vitam Chriſtiano dignam agant. Quare a Patrini officio rejiciendos præcipimus quoſcumque Hæreticos, Excommunicatos, notorie criminoſos, & ſcandalose viventes, qui proinde aliqua cenſura, vel pœna ſpirituali publice multati actu reperiantur, ac tandem eos, qui rudimenta Fidei ignorant.

Bapti-

8 Baptizandis non nisi Sanctorum nomina imponantur, præsertim eorum, qui in Martyrologio Romano occurrunt: & impositum Infanti nomen, & cognomen, Parentum etiam, & Suscipientium, necnon ejusdem Baptizantis nomina, & cognomina in Baptizatorum Librum bene compactum, & chartulatum Parochus referat sub pœna decem ducatorum singulis vicibus in pios usus erogandorum: idem servetur in Baptizatis domi propter necessitatem, cum cæremoniæ in Ecclesia supplentur, & Liber caute apud solum Parochum custodiatur.

9 In Baptisterio sint omnia parata, & munda, quæ in Baptismi administratione sunt necessaria.

10 Baptisterii clavem Parochus caute apud se retineat, & Fontis Baptismalis benedictionem bis in anno, nempe Sabbato Sancto, & pervigilio Pentecostes habeat sub pœna sex ducatorum piis usibus &c.

TITULUS III.

De Confirmationis Sacramento.

1 QUoniam regenerati Fonte Baptismi certamen aggrediuntur adversus carnem, & sanguinem, adversus spirituales nequitias in cœlestibus, qui iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident, ut animi robore perficiamur, & tanquam boni athletæ induti thoracem justitiæ

for-

fortius colluctemur, ungi nos jubet Dominus ac Salvator noster unctione misericordiæ suæ per Sanctum Chrisma. *Effectus*, inquit Eugenius IV. in Instructione Armenorum, *hujus Sacramenti est, quod in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut scilicet Christianus audacter Christi nomen confiteatur*.

2 Non uno nomine Veteres Sacramentum hoc appellarunt, vel ab effectibus, quos producit, vel a ritu, quo confertur; alii siquidem illud appellarunt (*a*) *sigillum*, & *signaculum* a charactere, quem imprimit: alii (*b*) *Perfectionem*, & *Consummationem*, eo quod Baptizatum perficit, eumque pleniori gratia roborat, & confirmat: alii (*c*) a conferendi ritu *manus Impositionem*; usitatius tamen ab effectu appellatur *Confirmatio*, estque modo in Ecclesia universa magis receptum, & usurpatum, quia Baptizatis confertur per ipsum Spiritus Sancti robur, & firmitudo, ut Christianam Fidem firmiter teneant, animoque invicto profiteantur.

3 Hujus Sacramenti capaces sunt omnes homines, etiam infantilis ætatis, ac parvuli, dummodo sint Baptismate initiati, ut clare liquet ex Epist. Innocentii I. ad Eugubinum Episcopum cap. 3. ex Gregorio Magno in Epist. IX. ad Januarium

(a) *Cypr. in Epist.* 37. *ad Jubajan. Clemens Alexand. & Cornel. Pp. apud Euseb. Lib.* III. *Hist. cap.* 17.
(b) *Cypr. ibid. & Concil. Illiber. can.* 38.
(c) *Aug. Lib.* III. *contr. Litt. Petil. cap.* 104.

rium Episcopum Calaritanum, ex veteri Ecclesiæ Occidentalis consuetudine, & ex Ecclesiæ Orientalis praxi, quæ etiamnum extat confirmandi Infantes statim post Baptismum; consultius tamen statuit Synodus Coloniensis part. VII. cap. 9. sub Paulo III. celebrata, Mediolanensis I. sub Pio IV. aliæque, quarum canones collegit F. Gregorius de Rives pag. 150. septennes, aut grandiores consignandos esse pueros, & quia ante rationis usum apti non videntur ad pugnam, quam pro Fide Christi tenentur inire, & quia majus est gratiæ donum, & tenacius inhærens, quod vigilante Fide, & proprio mentis motu, ac prævia præparatione suscipitur. Hinc Cathechismus Romanus Part. II. cap. 3. *Si duodecimus annus*, inquit, *expectandus non videtur*, *usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit*.

4 Quapropter Parochis omnibus præcipimus sub pœna duorum ducatorum piis usibus &c. ne schedulam, vulgo *cartella* Parochianis suis pro Confirmatione ab Episcopo suscipienda ante septimum ætatis annum saltem inchoatum tradant: & cum tempus Confirmationis ab Episcopo administrandæ venerit, clare & distincte doceant eos omnes, qui confirmandi erunt, hujus Sacramenti effectus, & doctrinam Christianam, quam qui non callent, ad hoc Sacramentum suscipiendum non admittant, nec eis schedulam tradant sub eadem pœna.

5 Patrini, vel Matrinæ in hoc Sacramento pro honestate, & decentia adhibeantur mares pro maribus, mulieres pro mulieribus, & unus Patrinus, vel Matrina plusquam duos, vel duas præsentare nequit, ut præcipit Pontificiale Romanum.

6 Moneant Parochi Patrinos, & Matrinas hoc Sacramento contrahi affinitatem spiritualem Matrimonium contrahendum impedientem, dirimentem contractum; quæ tamen affinitas confirmantem, & confirmatum, ejusque Patrem & Matrem non egreditur.

7 Ecclesiastici omnes etiam Regulares, & Moniales, Patrini, vel Matrinæ officium absque nostra expressa licentia non exerceant: notorie vero flagitiosi, Excommunicati, aliique, de quibus Titulo præcedenti de Baptismo facta est mentio, omnino repellantur.

8 Cum confirmato ligari debeat frons, sicque manere quousque Sanctum Chrisma exsiccetur, ut præcipit Pontificale Romanum, quemlibet confirmandum monendum arbitramur, ut vittam mundam, cum qua caput ligetur, secum deferat, & eam dum aufert, in profanum usum ne transferat.

9 Habeant Parochi singuli confirmandorum Librum bene compactum, in quo notantur nomina & cognomina cum confirmatorum, tum Parentum, & Patrinorum, statim ac Confirmationis Sacramentum est eis administratum, il-

lum-

lumque penes se caute custodiant, alias pœnam dabunt sex ducatorum piis usibus &c.

TITULUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

1 IMpresso Baptizatorum fronti signaculo gratiæ apparat eis Dominus *Mensam*, in qua ut in ipso maneant, carne sua eos alit, & effuso in remissionem peccatorum sanguine spiritaliter inebriat. Præsignatum olim fuit juge hoc Sacrificium, dum Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos Dei Altissimi panem, & vinum obtulit; ideoque Regius Vates (*a*) ejus excellentiam & dignitatem prænoscens, *parasti*, exultans inquit, *in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me*. Siquidem adversus eos, qui nos tribulant, & lacessunt, immensum gratiarum munus, cœleste hoc convivium paratum est, & ex illo, dummodo non accedamus indigni, surgimus hostibus formidabiliores, ut inquit Chrysostomus (*b*), figura desumpta ex iis, quæ in immolatione Agni Paschalis apud Ægyptios contigerunt: *Si Angelus viderit sanguinem, non illitum postibus, sed sanguinem veritatis in ore fidelium splendentem, abscedet ocyus*.

2 Hinc Fideles prioribus Ecclesiæ seculis,

 dum

(a) *Psal.* 22.
(b) *Hom. ad Neoph.*

dum erat eis cor unum, & anima una in Deo, frequentissime, & sæpe numero quotidie conveniebant *ad frangendum panem* (*a*), illumque domum deferebant, ut Christi Corpore roborati, & insidias Dæmonum declinarent, & Gentilium furori fortius obsisterent.

3 Diu perseverasse piam hanc, & saluberrimam consuetudinem tradit Eminentissimus Cardinalis Bona Lib. III. Rer. Liturgic. cap. 17. at frigescente Fidelium fervore, Eucharistiæ sumptio primum coarctata fuit ad singulos dies Dominicos (*b*); deinde indicta est sub præcepto in tribus principalioribus anni Solemnitatibus, nimirum in Paschate, in Pentecoste, & in Natali Dominico (*c*); postremo semel in anno, idest in Paschate: *Omnis utriusque sexus fidelis*, statuit Concilium Lateranense IV. cap. 21. sub Innocentio III. Summo Pontifice celebratum, *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem caussam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura*. Hoc idem,

(a) *Act.* 11. *v.* 42.
(b) *Ambr. Lib. de Divin. Offic. cap.* 120.
(c) *Cap.* Omnis *de Consecrat. dist.* 2.

idem, anathemate contra sentientibus indicto, decrevit Tridentina Synodus sess. XIII. cap. 9. & hoc non obstante, nisi Ecclesiasticas censuras quidam pertimescerent, etiam Paschali tempore se ab hoc divino alimento abstinerent, ut nonnulli perditissimi homines reipsa se abstinent. Quapropter ut huic Ecclesiæ præcepto satisfaciant omnes, accedentibus ad Sacram Synaxim tempore Paschali, quod durat a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive, ut declaravit Eugenius Pp. IV. in Bulla, quæ incipit *Fide digna* (a), tradant Parochi schedulam impressam, vulgo *cartella stampata*, sub pœna ducatorum sex; & sedulo curent, ne ejusmodi schedulas, qui recipiunt, tradant aliis, qui Paschali præcepto haud satisfecerunt ad evitanda spiritualia Ecclesiæ fulmina. Moneant præterea pœnitentes per confessionem sacrilegam non satisfieri præcepto Ecclesiæ, ut definivit Innocentius XI. contrariam proscribens propositionem.

4 Quamquam pia Mater Ecclesia Eucharisticam Communionem adminus semel in anno præcipiat; optat tamen ejus frequentem usum (b), præsertim ab iis, qui vestem nuptialem induti ad Divinam hanc Mensam accedere solent; & ne quis indigne accedens, judicium sibi manducet, & bibat, Parochos hortatur (c), ut Fideles

(a) XX. *in Bullar. Rom.*
(b) *Conc. Trident. sess.* XXII. *cap.6.*
(c) *Ritual. Rom.*

les ante Communionem admoneant, qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, humilique etiam corporis habitu accedere debeant: insuper ut quantum in ipsis est, & ipsa temporum, personarum, ac locorum conditio patitur, caveant, ne in administrando hoc admirabile Sacramentum contra Domini præceptum dent sanctum canibus; sancta enim sanctis tradenda sunt, inquit Chrysostomus Hom. XVII. in cap. 9. Epist. ad Hebræos. Quare arcendos præcipimus Ecclesiasticis censuris innodatos, notorie interdictos, publicos usurarios, blasphemos, concubinarios, meretrices, magos, sacrilegos, aliosque hujus generis publicos peccatores, nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo satisfecerint. Illum autem dicimus peccatorem publicum, cujus crimen, aut per evidentiam facti, quæ nulla tergiversatione celari potest, notorium est: aut per judicium vel seculare, vel Ecclesiasticum in publicam notitiam venit: ita in cap. *Tua nos*, & cap. *Quæsitum est* de cohabitat. Cleric.

5 Infantibus usu rationis carentibus haud Sacramentum hoc ministrandum est, licet olim a Patribus fuisse ipsis distributum legatur; quia *nulla salutis necessitate* id eos fecisse docet Tridentina Synodus sess. XXI. cap. 4. cum vero ad ætatem perveniunt, in qua idonei sunt ad Corpus Domini dijudicandum, & Divini Mysterii magni-

gnitudinem percipiunt, eos ſive pueri ſint, ſive puellæ, in Parochialem Eccleſiam congregent Parochi, per totamque Quadrageſimam eos doceant, quæ ad ſancte & devote Sacram Communionem ſuſcipiendam neceſſaria ſunt, & quos in fine Quadrageſimæ inſtructos, & diſpoſitos invenerint, in Paſchate ad Sacramentalem Corporis Chriſti participationem admittant; numquam tamen ad eam recipiant ignorantes doctrinam Chriſtianam, & præſertim principalia Fidei Myſteria; ſecus facientes, aut puerorum inſtructionem omittentes pœna ſex ducatorum piis uſibus applicandorum multabuntur. Hæc autem puerorum inſtitutio, ut facilius executioni mandetur, in Appendice hujus Synodi Inſtructio practica adnectitur.

6 Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumma cum veneratione in ſingulis Parochialibus Eccleſiis ſervetur: ante Tabernaculum diu noctuque lampas ardeat. ſub pœna ſex ducatorum a Parocho, vel Sacriſta negligente, quoties fuerit lumen extinctum, ſolvenda. Sint in Tabernaculo duæ Pyxides argenteæ, vel ſaltem Cuppas argenteas habentes, intus auro delinitas, quarum altera deſerviat ad Salutarem Eſcam infirmis deferendam, altera cum Sacris Particulis in Tabernaculo pro adoratione maneat, utraque tamen ſemel in hebdomada purificetur.

7 Euchariſtia, quæ morituris adminiſtratur,

Via-

Viaticum hodie dicitur; imo nomine Viatici unice ipsa venit : apud Veteres tamen quidquid poterat pœnitentes, vel Cathecumenos morti proximos communioni Ecclesiæ restituere, aut Deo reconciliare, nempe Baptismus, Confirmatio, a peccatis Absolutio, Extrema Unctio, imo & Sanctorum merita ipsis impertita, & communicata, Viaticum appellabantur, quamquam necessaria ad salutem non esset, nisi absolutio a peccatis respectu pœnitentium, & Baptismus respectu Cathecumenorum: postremis hisce temporibus, quia pœnitentibus collata supponitur a peccatis absolutio, & Cathecumenis Baptismus, consuetudo obtinuit, ut Eucharistiæ delatio duntaxat Viaticum nuncupetur; neque quæcumque Eucharistiæ delatio, sed tantum Eucharistia infirmis prope morituris administrata.

8 Parochis præcipit Rituale Romanum, ut infirmos ad Sacram Communionem hortentur, etsi graviter non ægrotent, præsertim cum celebratur aliquis magnus dies Festus, ut Natalis Domini, Pentecostes, vel alius similis, aut præceptum Paschale urget, cui satisfacere tenentur etiam infirmi.

9 Dum infirmus est morti proximus, & Eucharistiam sumit per modum Viatici, non est necesse ut sit jejunus jejunio naturali, cum jejunus nequeat perseverare : secus vero dum eam sumit ex devotione; ideoque duplicem for-

formam administrandi Eucharistiam præscribit Rituale Romanum, unam pro Viatico, alteram pro communione ex devotione. Si autem per multos dies in eodem mortis periculo versetur, & petat Christi Corpore iterum refici, post diem septimum, vel octavum eodem modo, rituque simili administrari potest.

10 Cum Parochus Eucharistiam ad infirmum defert, si illum ita vi morbi affectum inveniat, ut Sacram Synaxim commode suscipere non valeat, cum aliis, qui adsunt, pro eo sancte & devote oret; & si infirmus optet aperta Pyxide Eucharistiam adorare, eam adorari faciat, ipsumque doceat quo pacto Sacramentum spiritualiter sumere possit, ejusque fructum, & utilitatem percipere, desiderio nempe, & voto, ac fide viva, quæ per dilectionem operatur: *Crede*, inquit Augustinus, *& manducasti*.

11 Parochis omnibus præcipimus, ut Eucharistiam omni possibili pompa, & sacrorum Rituum observantia ad infirmos deferant; inquit enim Honorius III. Cap. *Sane* III. Decretalium tit. 41. deferendam esse a Sacerdote, seu Parocho *in decenti habitu, supposito mundo velamine, honorifice ante pectus cum omni reverentia & timore semper cum lumine præcedenti:* decentem habitum esse *superpelliceum cum stola*, demonstrat ex Ecclesiasticis definitionibus Gonzalez (*a*): lu-

 mi-

(a) *Tom.* III. *in Decretal. pag.* 816.

mina, quæ præcedere debent, ſint adminus quatuor in laternis cum haſtis incluſa, ne a vento, vel a pluvia inopinato ſuperveniente extinguantur, ſub pœna decem carolenorum piis uſibus &c. Frequenter populum hortentur, ut Divinum Sacramentum abſque vanis confabulationibus, aliiſque actibus, quibus Chriſtiana modeſtia deturpatur, vel læditur, comitetur, & qui poterunt etiam cum candelis accenſis. Dent ſignum Campanæ, quo Euchariſtiam infirmis deferendam eſſe ſignificetur, & Fidelibus, qui Proceſſioni reverenter, & devote interfuerint, præter indulgentias ampliſſimas a Summis Pontificibus Urbano IV. Martino V. & Eugenio IV. conceſſas, quadraginta dies de vera indulgentia elargimur; & legitime impeditis, dummodo in domibus ſuis pro ſalute corporali, vel ſpirituali ægroti Dominum deprecentur, dies viginti.

12 Quando in Eccleſia Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per Plateas ſolemni pompa circumgeſtari cœperit, eſt incertum, id unum certiſſime liquet, ſub initium ſeculi XV. Proceſſiones hujusmodi uſitatas fuiſſe. Siquidem Martinus V. in Bulla, quæ incipit *ineffabile Sacramentum* (a), poſt duplicatas indulgentias, quas Urbanus IV. dederat iis, qui in ſolemnitate Corporis Chriſti Officio Divino intereſſent, ſubdit: *Illi præterea, qui Proceſſiones, in qui-*

(a) XII. *in Bull. Rom.*

quibus vivificum Sacramentum dicto Festo juxta præfatarum Ecclesiarum ritus defertur, continuo secuti fuerint, centum dies singulis annis de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Et hunc laudabilem morem ut suo tempore in Latina Ecclesia receptum & confirmatum laudat & approbat Tridentinum Concilium sess. XIII. cap. 5. Quocumque tamen tempore institutæ sint, propositæ sunt, ut debitus honor Venerabili Sacramento exhibeatur, ac erga illud Fidelium devotio magis excitetur. Quare præcipimus, ut nihil in hujusmodi Processionibus admisceatur, quod debitum huic Sacramento cultum imminuat, vel in ejus contemptum tendat, aut oculos Fidelium offendere, vel eorum mentes ab hoc excellenti Religionis officio avocare possit. Viæ item omnes, quas Rex Regum sua regali Majestate lustrare dignatur, mundentur, aptentur, floribus, odoribus, aliisque pretiosis rebus, non tamen supellectili vestiaria mulierum ornentur, ne in ipsa regali æterni Judicis præsentia lasciviendi præbeatur occasio; & in Processione generali Corporis Christi tam Dignitates, quam Canonici nostræ Cathedralis, sive Venerabile Sacramentum deferat, sive aliquo legitimo impedimento detentus, non deferat Episcopus, interveniant.

13 Laudabilis quoque & religiosa est consuetudo Eucharistiam publicæ Fidelium adorationi exponere; sed in nulla omnino Ecclesia

etiam Regularium publice exponatur, nisi expressa nostra accesserit licentia; cum munus sit Episcoporum, quicquid ad publicum Dei cultum attinet, præscribere: & dum exponi contigerit, Altare decenter ornetur, & sex Cerei adminus circa ipsam ardeant. *Sacramentum hoc*, inquit Antonius Albergatus Nuncius & Visitator Apostolicus in Instructione Parochis, & Pastoribus Civitatis & Diœcesis Leodiensis data anno 1613. *nunquam populo adorandum exponatur, quin sint accensa adminus sex luminaria circa ipsum; multo melius est, ut non ita frequenter exponatur, & tunc cum debita reverentia, quam frequentius, & sine debito obsequio, & reverentiæ ædificatione id fiat:* quam Instructionem & Nos a Parochis nostræ Diœcesis memoria retinendam præcipimus.

14 Quoniam plurimum confert ad excitandam populi devotionem, si Parochi sedulo eum instruant, quomodo & qua de caussa Venerabile hoc Sacramentum exponatur, ut nimirum Christus ibidem sub speciebus panis vere & realiter præsens, ut verus Deus pro nobis homo factus cultu latriæ adoretur, atque specialis memoria Passionis ejus recolatur, majorique fiducia, præsente nostro Advocato, ad thronum gratiæ accedamus: Rectores omnes animarum hortamur, ut id in Cathechismo singulis diebus festivis habendo nullo modo omittant.

15 Sepulcra Feria v. in Cœna Domini non con-

condantur, nisi in Ecclesiis cum Secularium, tum Regularium, Monialium etiam, & Conservatoriorum, in quibus toto anni tempore Sacra Eucharistia servatur: in illis vero, in quibus jugiter non custoditur, nullo modo fiat sub pœna viginti ducatorum in pios usus erogandorum, & in subsidium Sacerdoti eodem die celebranti, ac Venerabile ad Sepulcrum deferenti, atque aliis etiam Ecclesiasticis ministrantibus, & Missam canentibus suspensionem a Divinis ipso facto incurrendam & nobis reservatam indicimus: si vero Regulares sint, qui in Ecclesiis hujusmodi Missam celebrant, vel ministrant, intelligantur ipso facto a Divinis suspensi, & etiam a confessionibus audiendis, si sint Confessarii.

16 Eadem Feria v. in Cœna Domini, Feria vi. in Parasceve, in Sabbato Sancto, & in Nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi nullus omnino Sacerdos (iis tantum exceptis, qui Majorem Missam celebraturi sunt) Missam celebrare audeat sub pœna decem ducatorum piis usibus applicandorum.

17. Prædicta Feria v. in Cœna Domini Ecclesiastici omnes cujuscumque sint ordinis & dignitatis, nisi legitime fuerint impediti, Sacram Synaxim de manu Episcopi, vel alterius ejus loco celebrantis suscipiant, & id in universa nostra Diœcesi observandum præcipimus, sive Parochus celebret, sive eo impedito, quicumque

que

que alter Sacerdos; plurimum enim Ecclesiasticorum exemplum ad totius populi ædificationem confert.

18 In die Sabbati Sancti nullus omnino Sacerdos, sive Secularis sit, sive Regularis Sacrum facere audeat, vel alio quovis modo ministrare iis in Ecclesiis, in quibus Sanctissimum Sacramentum non servatur, neque Depositum, seu Sepulcrum factum est ut supra sub pœnis eisdem suspensionis a Divinis, & ducatorum viginti piis usibus &c. nisi alicui Ecclesiæ fuerit id a Nobis specifice in scriptis indultum, & concessum ex aliquo ejusdem Ecclesiæ peculiari Jure per Nos recognito & approbato.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

1 COgnoscens Misericordiarum Deus figmentum nostrum, *illis*, inquiunt Tridentini Patres, *vitæ remedium contulit*, *qui se in peccati servitutem*, *& Dæmonis potestatem tradidissent*, *Sacramentum videlicet* Pœnitentiæ, *quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur*. Variis nominibus Sacramentum hoc solet appellari, videlicet *secunda post naufragium tabula* a Patribus, laboriosus Baptismus a Tridentina Synodo Sess. VI. cap. 14. eo quod *ad vitæ novitatem & integritatem in Baptismo acquisitam*, *& per*

& per peccatum amissam, per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & lacrymis, divina adjuvante gratia, divinaque id exigente justitia pervenire nequaquam possumus. Usitatius tamen & olim, & hodie Pœnitentiæ Sacramentum dicitur & vocatur a contritione, quæ primum inter pœnitentis actus locum obtinet, estque *animi dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*, ut Sess. XIV. cap. 4. inquit eadem Tridentina Synodus.

2 Et sane duo complectitur Pœnitentia, consilii nempe, sive sententiæ mutationem; & intimum animi sensum, quo aliquem facti pœnitet: ex quibus tertium dimanat, nempe cautio, ne pœnitens postea idem consulat, aut exequatur; vix enim concipi potest, ut aliquem facti sui serio & deliberate pœniteat, & serio ac deliberate sibi non proponat ab eo facto, cujus pœnituit, in posterum non abstinere, & incommoda ex priori consilio & facto exorientia non impedire, & a se propellere. Hinc sequitur vere peccatorum suorum non pœnitere eos, qui postquam peccata sua Confessario manifestarunt, & absolutionem acceperunt, repente eadem peccata committunt; illi enim vere pœnitentes dicendi sunt, qui de peccatis efficaciter & universaliter dolent, propositum habent non peccandi de cætero, ac in se puniunt, quod male admiserunt: a verbo *punio* inquit Isidorus pœnitentiam derivare; quo-

niam

niam *homo pœnitendo punit*, *quod male admisit:* unde Theologi, & Canonistæ apud Gratianum inquiunt: *Pœnitentia est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse*.

3 Eugenius Papa IV. pro Armenis Decretum edidit, in quo de hoc Sacramento differens, Pœnitentiæ *materiam*, vel quasi *materiam* docuit esse pœnitentis actus, nempe cordis contritionem, confessionem oris, & operis satisfactionem: de contritione multa docet Tridentina Synodus Sess. XIV. cap. IV.

4 Oris Confessio, quæ secundo loco ab Eugenio numeratur, est accusatio omnium & singulorum peccatorum mortalium, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, etiamsi occulta sint, & intra cogitationem commissa; docet enim Tridentina Synodus sess. mox relata cap. 5. Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii institutum esse, & judicium ignota caussa exerceri non posse, neque in pœnis jungendis servari æquitatem, si in genere tantum, & non potius in specie, & sigillatim patrata scelera Confessariis declarentur; imo addit & circumstantias peccati speciem mutantes aperiendas esse, ut de criminum gravitate recte censere possint. Aliud enim est simplex homicidium committere, aliud in Templo id perpetrare, quo & homicidium committitur, & domus Dei profanatur. Loquitur autem Tridentina Synodus de circumstantiis speciem mutantibus,

tibus, non vero de circumstantiis malitiam peccatorum multum aggravantibus; quia ut inquit Cardinalis Pallavicinus in Hist. Conc. Trident. congregata erat Sancta Synodus ad Hæreticorum errores damnandos, non vero ad proscribendos Catholicos Scriptores, quibus visum est eas circumstantias non requiri ad integritatem Confessionis. Cæterum ratio, quam profert de Judice, & de Medico, qui de gravitate criminum, vel de morbi qualitate judicare nequeunt, si rei, aut ægroti scelerum & morbi affectiones, circumstantiasque variantes speciem ocultent, probat & circumstantias peccati speciem augentes Confessario aperiendas esse.

5 Altera Sacramenti Pœnitentiæ pars, cujus in Decreto Eugenii fit mentio, est satisfactio, qua homo pro peccatis commissis aliquid Deo persolvit. Debet illam Sacerdos imponere, ac cavere ut injuncta opera qualitati criminum, pœnitentiumque viribus correspondeant: *Debent*, inquit præcitata Synodus cap.8. *Sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Etenim pœnæ hujusmodi satisfactoriæ, si sint personis & peccatis convenientes, magnopere a peccato revocant, coercent rebellantes concupiscentiæ motus, & dum satisfaciendo peccatis, patimur, Jesu Christo, qui pro pec-

catis nostris satisfecit, & passus est, conformes efficimur; certissimam inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur: quam profecto proportionem nullimode respiciunt Confessarii illi, qui pro gravissimis culpis levissima opera imponunt.

6 Advertendum tamen est quod licet satisfactio tantum affectiva, seu quoad animi præparationem pars sit essentialis hujus Sacramenti, non vero satisfactio effectiva, seu realis, quæ videtur pars tantum integralis; monendi sunt nihilominus pœnitentes, ut injunctam pœnitentiam effective peragant, & dum sunt in statu gratiæ, vel adminus sine affectu actuali ad peccatum, ne periculo non satisfaciendi, ut mitius loquamur, se exponant.

7 Verba absolutionis referuntur ab eodem Eugenio IV. in Decreto relato, & a præcitata Tridentina Synodo, suntque, *Ego te absolvo a peccatis tuis &c.* quæ vero præcise essentialia sint, quæ accidentalia, Theologorum discussioni remittitur.

8 Cum itaque Confessarii, ut ex Tridentino diximus, in administrando Pœnitentiæ Sacramento Judicis & Medici officio fungantur, debent non solum prudenter & circumspecte gravitatem criminum & pœnitentium qualitatem discutere, iisque discussis, tanquam integri & incorrupti Judices præteritorum peccatorum condignam pœnam decernere, sed insuper ut

ut periti Medici ad novæ vitæ custodiam spiritualia pharmaca illis præscribere; *ne si fort e*, inquiunt Tridentini Patres (a), *peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Si pœnitentes nulla contritionis aut doloris vera signa dederint, eos haud absolvant, cum dolor pars sit hujus Sacramenti essentialis, sed salutaribus monitis, & spiritualibus operibus, nempe orationibus, jejuniis, & eleemosynis curent illos disponere, ut ad Sacramentum Poenitentiæ redeuntes, accedant dispositi, & peccatorum absolutionem rite suscipiant.

9 In poenalibus operibus imponendis ostendant se unice ea præscribere ad poenitentium salutem procurandam, nihilque se in eorum præscriptione lucri quærere; neque pro confessionibus audiendis aliquid a poenitentibus petant, vel exigant sub pœna suspensionis ab audiendis in posterum confessionibus ipso facto incurrenda: & si necessitate evenerit, ut Confessarius poenitenti jubeat, ut Sacrificium peragi faciat, nec directe, nec indirecte significet, se velle in sua Ecclesia, vel in suo Monasterio illud Sacrum facere.

10 Ministri ordinarii Sacramenti Poenitentiæ sunt Episcopus, & Parochi, qui si curæ animarum renuntient, non remanent hujus Sacra-

(a) *Sess.* XIV. *cap.* 8.

menti ordinarii Miniſtri, neque poſſunt confeſſiones audire, niſi ab Epiſcopo tanquam Miniſtri delegati iterum approbentur: delegati vero ſunt Sacerdotes quicumque ſive Seculares, ſive Regulares ab Epiſcopo approbati, etiam prævio rigoroſo examine, ſi id expediens, vel neceſſarium Epiſcopus judicaverit. Unde ſimplex Sacerdos ab Epiſcopo non approbatus, quia tam ordinaria, quam delegata jurisdictione caret, nullo modo extra mortis periculum poteſt Confeſſiones audire, vel a peccatis abſolvere, etiam ſi venialia ſint.

11 Confeſſiones Sacramentales a Confeſſariis quibuſcumque etiam Regularibus non audiantur, niſi in Confeſſionalibus, quæ in propatulo ſunt collocata; quæ vero in receſſibus, aut Cappellis ſita ſunt, ad apertiora loca transferantur. Habeant Confeſſionales Sedes laminas crebro terebratas, ita quod mulierum facies Confeſſarii non videant, ſub pœna ſuſpenſionis a confeſſionibus audiendis: nec ante auroram, & poſt Solis occaſum confeſſiones audiant ſub eadem ſuſpenſionis poena, quam etiam Regularibus infligimus.

12 Aegrotorum confeſſiones, maxime mulierum in eorum domibus caute excipiantur; & ſi a Regularibus audiantur, vel ab aliis Confeſſariis, quibus ex Officio id non incumbit, proprium ægroti Parochum certiorem faciant de adminiſtrato Poenitentiæ Sacramento, ut

cæ-

cæteris miniſtrandis ſedulo det operam.

13 Quamvis nullum ſit peccatum carne, vel ſpiritu, facto, vel voluntate commiſſum, quod Sacerdos quilibet jurisdictione fretus nequeat abſolvere, ad compeſcendum tamen effrenatum ſcelerum curſum, quo præceps in æternam mortem fertur humana cupiditas, jam pridem Sanctis Patribus viſum eſt, atrociora quædam crimina Summorum tantum Sacerdotum judicio reſervari, ut ſaluberrimo horrore populus fidelis perterritus ab iis committendis ſe abſtineat; nam ſicut facilitas veniæ eſt incitamentum delinquendi, ita e contrario difficultas indulgentiæ minuit facilitatem peccandi. Quapropter his moti de cauſſis caſus nonnullos alias a Prædeceſſoribus noſtris ſibi reſervatos, juxta tabulam in Appendice harum conſtitutionum apponendam, ita noſtro judicio reſervamus, ut Confeſſariis omnibus tam Secularibus, quam Regularibus, & etiam Parochis facultatem ab iis abſolvendi (excepto mortis articulo) ſubtrahamus: ac inſuper eos monemus, ne tam crebris literis Nos urgeant, ut prædictam facultatem eis concedamus; alias malis exorientibus haud obviam itur; ſed quem volumus meliorem facere, facimus pejorem.

14 Monitos quoque volumus Medicos omnes, ut cum ad infirmos curandos accerſuntur, poſt tertium viſitationis diem ab infirmis ſciſcitentur, num peccata ſua Sacramentali confeſ-

ſio-

ſione deterſerint: quod ſi non adhuc confeſſos eſſe compererint, ut quantocius confiteantur, moneant, ſub Excommunicationis poena Nobis reſervata pro abſolutione in foro poenitentiali.

TITULUS VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

1 POſt Poenitentiam rectus ordo expoſcit, ut de Unctionis Extremæ Sacramento agamus, quod totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua poenitentia eſſe debet, conſummativum a Patribus æſtimatum eſt (*a*). Clementiſſimus enim Redemptor noſter, qui quovis tempore ſervis ſuis ſalutaria remedia præparavit, quibus ſe integros, dum viverent, ab omnibus hoſtium telis ſervare poſſent, finem vitæ Extremæ Unctionis Sacramento munire voluit, ut in extremo agone contra inſidias Diaboli ejus præſidio roboremur. Nam etſi ille perpetuo occaſiones quærat, ut devoret animas noſtras, nullum tamen tempus eſt, inquiunt Tridentini Patres, quo vehementius omnes verſutiæ ſuæ nervos intendat ad nos perdendos, quam cum exitum vitæ nobis imminere advertit. Nec ſolum adverſus callidi hoſtis artes Unctionis Extremæ Sacramentum nos roborat; ſed

(a) *Conc. Trid. Seſs.* XIV. *de Doctor. Extremæ Unct.*

sed siquæ sunt delicta, & peccati reliquias abstergit, morbi molestias alleviat, & si animæ expedit, sanitatem corporis restituit: & ideo tanto majori veneratione & cultu Sacramentum hoc prosequendum est, quanto majora Divinæ bonitatis auxilia nobis confert.

2 Materia hujus Sacramenti est oleum olivæ per Episcopum benedictum, ita Eugenius IV. in Instructione ad Armenos, & Concilium Tridentinum Sess. XIV. cap. I.

3 Hoc oleo ab Episcopo singulis annis Feria v. in Cœna Domini benedicto tenentur Parochi Extremæ Unctionis Sacramentum ministrare; unde præcipit Rituale Romanum, ut habeat Parochus in Armario Serico violaceo intus ornato prope Sanctissimi Sacramenti Aram sub tuta clavi, ab eodem caute custodienda, Sacrum oleum in vase argenteo, seu stamneo diligenter custoditum; quod singulis annis Feria v. in Cœna Domini, veteri combusto, renovandum est.

4 Forma, quæ etiam ab eodem Eugenio præscribitur, sunt verba a Sacerdote prolata: *per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, vel auditum &c. deliquisti*: & eandem assignat Tridentina Synodus loco jam relato; quæ tamen forma juxta Rituale Romanum debet a Ministro pronuntiari integra ad singulas membrorum unctiones.

5 De

5 De partibus inungendis inquit idem Rituale Romanum: *Quinque vero corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, & manus; attamen pedes, & renes ungendi sunt; sed renes in mulieribus honestatis gratia semper omittuntur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest: sed sive in mulieribus, sive in viris alia Corporis pars pro renibus ungi non debet.* Caveat tamen Sacerdos dum oculos, aures, nares, manus, aliaque corporis membra ungit, ne altera illorum inungendo Sacramenti formam integre prius absolvat, quam ambo ejusmodi gemina, seu paria membra inunxerit, quod maxime attendere debent Parochi hujus Sacramenti Ministri.

6 Solis infirmis Sacramentum hoc administrandum esse, clare liquet ex Epistola S. Jacobi (*a*), ex Epistola Innocentii I. ad Decentium, & ex Tridentina Synodo (*b*), quæ de Unctione Extrema loquens, ait, *hanc inunctionem infirmis esse adhibendam, iis præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur:* Quibus vero infirmis adhibendum sit, docet Rituale Romanum a Paulo V. Pontifice Maximo confirmatum, iis nimirum, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur: iis

(a) *Cap.* v. *ver.* 14.
(b) *Sess.* xiv. *cap.* 3.

iis, qui præ senio deficiunt, ut in diem morituri videantur, quamvis nulla alia infirmitate laborent: & iis, qui dum sana mente, & integris sensibus essent, illud petierunt, vel contritionis signa exhibent, si loquelam amittant, aut quod verisimilius peterent, vel contritionis signa darent, si ipsis vires essent, censetur. Haud tamen conferendum est impœnitentibus, & Ecclesiastica sepultura privatis; quemadmodum nec etiam pueris rationis usu carentibus; siquidem istis recensita forma covenire nequit; quippe neque sensibus indulserunt, neque superno indigent auxilio ad insidias Dæmonum repellendas: secus vero si peccati mortalis, & confessionis capaces sint, quamvis octavum & nonum annum non excedant, quinimo licet nunquam communicaverint; quia sicut delinquere possunt per sensus, ita & deliniri saluberrimo hoc spiritualis medicinæ Sacramento: & si eos mori contigerit, non sunt adstringendi Parentes ad Exequias pro ipsis adultorum more celebrandas (*a*).

7 Sciant tamen Parochi, quod ut Sacramentum Unctionis Extremæ conferatur, non sufficit quodlibet imminentis mortis periculum, sed necesse est, ut periculum vi morbi immineat; quare illis, qui periculosam navigationem parant, vel qui prælium inituri sunt, vel qui capitis damnantur, & ad supplicium rapiuntur,

 non

(a) *Pastoral. Mechlinens.*

non est administrandum, quia non imminet vi morbi mortis periculum (*a*): qua ratione neque etiam mulieribus in partu laborantibus administrari debet.

8 Ministri hujus Sacramenti sunt Sacerdotes: *Si quis infirmatur in vobis*, inquit in sua Epistola Catholica S. Jacob Apostolus (*b*), *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, *& orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*: quo in loco Presbyterorum nomine Episcopos, & Sacerdotes ab Episcopis consecratos intelligi, non vero Seniores, ut blaterant Novatores, patet; quia inquiens Apostolus, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, aperte se loqui significat de Sacerdotibus, qui regunt Ecclesiam, non de Senioribus qui communitati præsunt. Num autem plures accersendi sint Sacerdotes ad infirmum inungendum, ut ex Apostolicis verbis colligi videtur, varia est utriusque Ecclesiæ disciplina. Græca enim Ecclesia ad hoc Sacramentum administrandum septem convocat Presbyteros, aut tres, vel duos adminus, idque sibi colligere suadet ex relatis verbis *inducat Presbyteros Ecclesiæ*: Latina vero unum Presbyterum adhibet, quia per figuram permutationis, qua numerus pluralis pro singulari in Scripturis usurpari solet (*c*), id a S. Jacobo scriptum esse interpretatur. Neutrum morem

(a) *Ritual. Rom. & S. Carol. in Instruct. Sacr. Extr. Unct.*
(b) *Cap.* v. *v.* 14.
(c) *Matth.* XXVII. *v.* 24. *& Luc.* XXIII. *v.* 39.

rem improbamus, dummodo credatur Sacramentum hoc, servata descripta materia, & forma, ab uno etiam Presbytero valide & licite confici. Sed quia nobis non licet a nostra consuetudine recedere, unum præscribimus hujus Sacramenti Ministrum. Si tamen plures convenirent Sacerdotes non inungentes juxta Ecclesiæ Orientalis praxim, sed orantes, convenientius esset, cum unus ex effectibus Unctionis Extremæ ab oratione Fidei præcipue pendeat, dicente eodem Apostolo, *& oratio fidei salvabit infirmum*.

9 Secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam soli Parochi sunt ordinarii hujus Sacramenti Ministri, & Parocho impedito, alius Sacerdos de licentia Parochi; unde in Clementia 1. *de Privilegiis*, Excommunicatione latæ sententiæ Sanctæ Sedi reservata percutiuntur Religiosi, qui invito & inscio Parocho Sacramentum hoc administrant, nullo super hoc exemptionis titulo, vel alio privilegio illis suffragante.

10 Hortantur Parochi, ut sæpe infirmos invisent, eosque moneant, ne ad extremum vitæ Sacramenti hujus susceptionem differant, cum potius dum sensibus, & rationis usu valent, petant illud sibi administrari, ut ita uberiorem ejus fructum percipiant: & si resciverit Parochus infirmum, de quo veretur, ne forte perversitate, vel negligentia domesticorum sine Sacramentis moriatur, adeat etiam non vocatus ad infirmum, eumque ad Sacramenta susci-

pienda excitare conetur. Si vero ejus negligentia infirmus aliquis isto, vel alio Sacramento non munitus ex hac vita migraverit, viginti ducatorum pœna piis usibus &c. Parochus multabitur.

II Cum Sacramentum hoc nullum imprimat characterem, toties ejus præsidio juvandi sunt fideles, quoties infirmantur (a); in eadem tamen infirmitate iterari non debet, quia semel susceptum de se sufficiens est ad incommoda illa vitanda, quæ præsens infirmitas affert. Si tamen infirmitas diuturna sit, & plures habeat status, ita ut post Extremæ Unctionis susceptionem infirmus convaleat, iterumque decumbat, iterum inungi potest; quia sicut est spiritualis curatio adhibita per modum curationis corporalis, ita morbis redeuntibus applicanda est.

TITULUS VII.

De Sacramento Ordinis.

I DIscessurus Dominus ex hoc mundo ad Patrem, quosdam ex omnibus, quos elegerat, ut essent sancti & immaculati, Sacerdotes ordinavit, eosque posuit regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Cum enim Sacrificium in nova Lege offerendum esset longe aliis omnibus præstantius, pro Mysteriis

(a) *Conc. Trident. Sess.* XIV. *cap.* 3.

riis ad id ſpectantibus deligendi erant peculiares viri, qui conſilio & morum probitate cæteros antecellerent; quo exemplo excitatus Apoſtolus ſcripſit ad Timotheum (*a*): *manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. Quid eſt autem cito manus imponere*, inquit S. Leo (*b*), *niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis*. Et Tridentini Patres poſtquam Epiſcopos in tota fere Seſs. XXIII. de Reformat. inſtruxerunt de doctrina, & ætate, quam in promovendis ad Ordines Sancta Mater Eccleſia requirit, cap. 12. ſubdunt: *Sciant tamen Epiſcopi non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit.*

2 Quapropter noſtro muneri ſatisfacturi, in virtute Spiritus Sancti, & in meritum ſalutaris obedientiæ, necnon ſub pœna decem ducatorum piis uſibus &c., & in ſubſidium ſuſpenſionis a Divinis ſingulis Parochis, ad quos ſpectat, de relatis requiſitis fidem facere, præcipimus, ut cum generale promulgatur Edictum de Ordinatione habenda, ſtatim Nos certiores reddant de vita & honeſtate Ordinandorum in ſuis reſpective Paræciis commorantium; ſi videlicet Eccefiæ inſervierint; ſi Sacramenta bis ad minus in menſe frequentaverint; ſi honeſte ut

(a) *Epiſt. I. cap. V. v. 22.*
(b) *Epiſt. LXXXVII. cap. 21.*

ut Ecclesiasticos decet, vixerint; si studiis, & quibus studiis operam navaverint; si in veste talari incesserint &c.: spondentes ipsis inviolabile secretum. Et ut seposito quocumque amore, vel odio secundum Deum & veritatem impositum sibi onus adimpleant, monitos ipsos volumus, aliis Nos honestis viris usuros, qui de relatis requisitis Nos pariter certiores faciant; & si eos in secreta relatione ad Nos mittenda infideles fuisse constiterint, prædictis pœnis multabuntur: quemadmodum & eidem præcepto, & pœnis subiicimus hujus nostri Sacri Seminarii Rectorem, nisi Nobis caste & sancte renuntiaverit, quicquid exploratum ierit, in relatione, quam eodem modo, ut supra, de Seminaristis ordinandis facere tenebitur.

3 Examinatores quoque monemus, ut juxta ejusdem Tridentinæ Synodi præscriptum (*a*), *Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investigent, & examinent:* nec ullis necessitudinis, aut officiorum stimulis a justitia & veritate declinent; sed in eorum electione Deum præ oculis habeant, & Ecclesiæ utilitatem. Ita ut si illi ad Sacerdotium promovendi sint, inquit Pontificale Romanum, *sit odor vitæ eorum delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione, atque exemplo ædificent domum, idest familiam Dei*: si ad Diaconatum, *sint tales, ut tanquam veri Successores Ordi-*

nis

(a) *Sess.* XXIII. *cap.* 7.

nis Levitici Ecclesiam Dei, tanquam tabernaculum portare, & munire ornatu sancto, prædicatu Divino, & exemplo perfecto possint: si demum ad Subdiaconatum, *talis sit vita ipsorum, ut si aliqua fragilitate contingat, fideles maculam incurrere, sperari possit, ut aqua ob eis præbenda, deletis erroribus doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum Altaris, & cultum Divini Sacrificii restaurent.* Verbo omnia complectimur, sint adeo pietate, & castis moribus conspicui, ut (*a*) vitæ exemplaritate omnibus præluceant.

4 Et quia scientia non minus, quam morum probitas in iis qui Altari deserviunt, exoptanda est, dicente Apostolo (*b*), *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*, eosdem præterea Examinatores in Domino hortamur, ut promovendorum doctrinam severo examine inquirant, eosque tantum ad majores Ordines præcipue approbent, qui curandis variis animorum affectionibus, atque concionibus ad populum habendis idonei sunt (*c*). Experimenta autem desumant ex Bibliis, Catechismo Romano, Concilio Tridentino, Sacrorum Canonum Decretis, aliisque Pontificiis Constitutionibus, Synodisque cum Diœcesanis, tum Provincialibus, atque ex his interrogationes promovendis efforment, non vero ex Gentilium Libris, quorum

(a) *Conc. Trident. Sess.* XXIII. *cap.* 12. & 14.
(b) 1. *ad Thimoth.* 4.
(c) *S. Joan. Chryf. de Sacerdotio Lib.* IV. *cap.* 4.

rum lectionem in Sacris Ministris reprobant SS. Patres; unde Hieronymus ad Heliodorum scribens Nepotianum suum laudat; eo quod data quavis occasione recitans Veterum testimonia, *illud*, ajebat, *Tertulliani*, *istud Cypriani*, *hoc Lactantii*, *illud Hilarii est*: & responsiones acceptas graviter, mature, prudenterque expendant, & proposito sibi timore Domini juxta conscientiam decernant; ne quemquam, quem indignum noverint, approbent, & quem idoneum, dignumque compererint, rejiciant; alias si negligenter, aut male quoquo modo se gesserint, Deo imprimis culpæ suo in munere admissæ rationem reddent (*a*).

5 De Ordinandorum Titulo præcitata Tridentina Synodus decernit (*b*), *ne quis Clericus Secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere .... patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint*. Ex quo Tridentini Decreto clare evincitur duos esse Ordinandorum Titulos, Be-

(a) *S. Carolus P. III. tit. 2. Conc. Mediolan.*
(b) *Sess. XXI. cap. 2. de Refor.*

Beneficialem nempe & Patrimonialem ; sed Beneficialem esse ordinarium, Patrimonialem vero extraordinarium, quia neminem ordinandum præcipit Patrimonii Titulo, nisi *pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum*. Et Sane a primis Ecclesiæ seculis ad seculum usque duodecimum (*a*) Beneficiali tantum Titulo clerici ordinabantur: ob exiguum deinde Beneficiorum numerum, & Ecclesiarum necessitatem, Beneficii loco substituta sunt Patrimonia. Unde monitos volumus omnes, & singulos Ecclesiarum hujus nostræ Diœcesis Parochos, & Rectores, ut in Testimonialibus pro ordinandis Titulo Patrimonii faciendis inter alia exprimant, Ordinandum admittendum esse *pro necessitate, vel commoditate Ecclesiæ*, ut Episcopus attentis Testimonialibus suum possit efformare judicium.

6 Ut autem quis ad Beneficii Titulum ordinetur, requiritur, ut Beneficium vere, & non ficte possideat, idque pacifice, idest sine ulla lite, aut controversia sive juris, sive facti, tam in judicio, quàm extra; & si pacifice possideat, quod sufficiens sit ad honestam substentationem, alias ad Ordines titulo Beneficii promoveri nequit; non quia Beneficium pacifice non possidet, sed quia possidet Beneficii partem, de qua controvertitur, an sufficiens sit ad congruam substentationem. Si quem vero necessitas, aut utilitas Ecclesiæ ad Titulum Pa-

F tri-

(a) *Conc. Lateran. sub Alexand.* III. *ann.* 1179. *celebr.*

trimonii promovendum ſuadent, & is Patrimonium ab omni ære alieno, & hypoteca exemptum habere debet, & non fictum, ſed proprium; ita ut proventus ex illo deſcendentes libere ſibi, ſuiſque uſibus applicare poſſit: iique annuos ducatos Regni vigintiquinque juxta vetuſtiſſimam hujus Diœceſis conſuetudinem æquent. Fictum autem Patrimonium poſſidere cenſetur, qui Patrimonium conditione tacita, vel expreſſa accepit, ut illud in ordinationis Titulum ſupponeret, vel affectaret, ejus tamen proventus, quod nunquam percipiat, ſed integros, aut majorem illorum partem proprietario relinquendam pactus ſit: hic non eſt tutus in conſcientia, & ſuſpenſionem latam contra Ordinatos ſine Titulo incurrit, ut communiter docent Canoniſtæ; quia fictus Titulus non eſt verus Titulus. Quare ſub pœna viginti ducatorum piis uſibus &c. ſingulis Parochis, aliiſque Eccleſiarum Rectoribus, & Oeconomis præcipimus, ne ullo modo ſcienter ficta Beneficia, aut ficta Patrimonia pro Ordinandis conſtitui permittant; ſed omnem omnino diligentiam, & induſtriam adhibeant, dum proclamationes faciunt, ut veri, & non ficti ſubſtituantur Tituli. Et ut fraudibus omnibus, quantum poſſumus, obviemus, decernimus, ut quilibet Ordinandus ſive ad Titulum Beneficialem, ſive Patrimonialem, in verbo veritatis juret, ſe Titulum, quem pro ſua futura Ordinatione

exhibet, vere, non ficte, aut fraudulenter possidere.

TITULUS VIII.

De Sacramento Matrimonii.

1 SEx Sacramentis expositis, superest, ut de Matrimonii Sacramento agamus, cui Ordo est affinis; propterea quod utrumque mysterium non tantum ad suscipientium sanctificationem, quod cujuslibet Sacramenti proprium est, verum etiam ad publicum commodum & utilitatem Christianæ reipublicæ est institutum; Ordo nempe ad constitutionem Sacrorum Ministrorum qui nos Sacramentis gignunt, roborant, & sanant; Matrimonium vero ad copulandos conjuges, qui legitime filios procreant, pascunt, & regunt. Quare & Apostolus (*a*) inquit, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; & Pastores *Fidelium Patres*, & *Ecclesiarum Sponsi* appellantur.

2 Matrimonium generaliter sumptum in Cap. 11. *de Præsumptionibus definitur*, *maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens*: & ita universaliter acceptum tripliciter distingui solet, aliud est legitimum, idest secundum leges Gentium legitime contractum, non autem in Fide Christi, & tale est Matrimonium Infidelium, & Judæorum: aliud dici-

(a) *ad Ephes.* v. *v.* 32.

tur ratum ideſt in Eccleſia approbatum, quod Fideles inter legitime contrahitur: tertium denique dicitur conſummatum, ideſt quando Matrimonio legitime contracto, & rato carnalis conjunctio accedit, & a conſummatione operis Matrimonialis, conſummatum nuncupatur. Matrimonium ratum eſt verum Matrimonium, & in ratione Matrimonii nihil ei deeſt; ſed conſummatum aliquid addit ſupra ratum, reddit nempe Matrimonium indiſſolubile; Quod in cauſa eſt, quod Matrimonium ratum diſſolvi poteſt per ſolemnem profeſſionem, non vero Matrimonium conſummatum.

3 Miniſtri ſeu cauſſa efficiens Matrimonii ſunt ipſi contrahentes, ſive eſt mutuus contrahentium conſenſus; ſicut namque ſponſalia ſolo conſenſu in nuptias de futuro contrahuntur, ita per conſenſum in nuptias de præſenti Matrimonium perficitur, juxta juris regulam, *Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit:* & cap. XXIII *de ſponſalibus* dicitur, quod ſufficit ad Matrimonium ſolus conſenſus illorum *de quorum, quarumve conjunctionibus agitur*.

4 Conſenſus regulariter exprimi debet per contrahentium verba de præſenti; neceſſitate tamen cogente exprimi, ſeu manifeſtari poteſt ſignis, & nutibus; unde Cap. nuper citato *de Sponſalibus*, legitur, ſurdum, & mutum poſſe Matrimonium contrahere, cum, quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare: ubi vero nul-

nulla adest necessitas, consensus mutuus exprimi debet per verba a Rituali Romano præscripta.

5 Hortamur proinde Parochos, & Ecclesiarum Rectores, ne alio modo, ubi nulla cogit necessitas, Matrimonium contrahi permittant, nisi per mutuum consensum verbis expressum, & declaratum; non quod invalidum censeamus Matrimonium per signa contractum; sed cum signa, & nutus æquivocationem, & confusionem aliquando pariant, sine necessitate haud per signa, & nutus contrahi debet. Qua de caussa ut certius de consensu constet, claram verborum formam, nullisque ambiguitatibus, & æquivocationibus obnoxiam in Matrimoniali contractu adhibendam Ritualia passim præscribunt, a qua nec Parochi recedere, nec ut alia forma Matrimonium contrahatur, permittere debent, sub pœna decem ducatorum piis usibus &c.; sicut nec etiam illud contrahi permittant per mutuum consensum sub aliqua conditione maxime de futuro; quia conditiones hujusmodi ultra quam quod difficultatibus quamplurimis sunt plerumque obnoxiæ, consensum quoque multoties suspendunt, vel Matrimonium invalidum reddunt.

6 Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. celebratum cum intelligeret frequenter contingere, quod conjugia clandestine ob occultum aliquod impedimentum dirimens contracta

tracta nulla essent, specialem quorumdam locorum consuetudinem ad omnia loca extendens, statuit, ut cum Matrimonia sint contrahenda, per Presbyteros in Ecclesia proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit,& valuerit legitimum apponat impedimentum.Concilium TridentinumSess.xxiv.de Reformat. cap. 1. eadem animo repetens, præcipit, ut antequam Matrimonium contrahatur, a proprio Parocho tribus diebus festivis inter Missarum solemnia in Ecclesia denuncietur, & si sponsus, & sponsa diversæ sint Paræciæ, in utraque a sponsi, & sponsæ Parochis denunciationes fiant.

7 Cum itaque proclamationes, seu denunciationes unice tendant ad impedimentorum detectionem; Parochi est, populum frequenter monere, ut si quæ impedimenta, etiam occultissima sciat, ipsi saltem revelet, ne ex eorum silentio, & occultatione reus evadat malorum omnium, quæ ex Matrimonio cum impedimento maxime dirimente contracto oriuntur; neque quis a revelatione excusatur eo solo titulo, quod impedimentum nequeat in judicio probari; siquidem ea impedimenti occulti, quod in judicio probari nequit, revelatio, erit Parocho occasio ulterius inquirendi, qua posita diligenti inquisitione, forsan eveniet, ut impedimentum detegatur, & judicialiter etiam probetur, vel saltem scrupulum eidem injiciet, ut spon-

ſponſos ſedulo moneat de longa peccatorum catena, cui ſe innectunt, qui cum impedimento dirimente conjugia ineunt; & ita contrahentes, vel illorum alterum ſaltem impedimenti conſcium inducet, ut illud fateatur, impediaturque hoc modo Matrimonium; eo vel maxime quia unius atteſtatio de impedimento ſufficere videtur ad impedienda conjugia juxta diſpoſitionem Juris in Cap. XXII. *de Teſtibus*, & in Cap. XII. *de Sponſalibus*, idque propter periculum peccati, quod ex Matrimonio ſic contracto, vel contrahendo timetur. Poteſt dari caſus, in quo occulti impedimenti manifeſtatio omitti poteſt, quando nempe graviſſima mala ex manifeſtatione timentur, & aliunde nullum, vel exiguum bonum ſperatur, tunc omnia circumſtantiis, & prudenti Parochi judicio metienda ſunt.

8 Quotieſcumque Parochi aliquod detegunt impedimentum, etſi dubium, ad nullum actum, Nobis inconſultis, procedant, nec Matrimonium celebrari permittant, niſi poſt ultimum diem a denunciationibus habitis: & ſi ab ultima denunciatione bimeſtre effluxerit, & Matrimonium non adhuc celebratum fuerit, denunciationes repetantur (a), ut exploretur, an eo medio tempore alter ex ſponſis alicujus impedimenti tactus ſit reus.

9 Nullus, Nobis inconſultis, ſuper denuncia-

(a) *Ritual. Rom. l. c.*

ciationibus dispensare valeat, sub pœna Parochis viginti ducatorum piis usibus &c.; neque ullum celebrari sinant Matrimonium, nisi habito a Curia nostra statu libero, & contrahendi licentia; qui status liber sponsorum accurate & concludenter per Parochos probandus est ex testimoniis sibi notis.

10 Ad hasce proclamationes, seu denunciationes nullus Parochus procedat, nisi sponsi conjugia ineuntes rudimenta Fidei, præsertim ea, quæ sunt necessitate medii ad salutem necessaria, calleant, sub pœna Parochis aliter facientibus ducatorum viginti piis usibus &c., & in subsidium sub pœna suspensionis a Divinis Nobis reservata; sitque hoc unum ex necessariis requisitis ad Matrimonium contrahendum, exprimendumque ab ipsis in Testimonialibus litteris.

11 Invigilent Parochi, ne sponsi antequam coram ipsis, & testibus Matrimonium in Ecclesia contrahant, una simul in domo cohabitent, vel aliquo in loco conveniant, ubi peccato carnis se commaculare possunt, sub pœna Parochis non invigilantibus, aut conniventibus (de quorum culpa tamen, vel conniventia constiterit) viginti ducatorum piis usibus &c.; qua pœna etiam multabuntur, si eadem Matrimonia in domibus privatis, aliisque in locis, & non in Ecclesia absque nostra expressa licentia celebrent.

12 Explorent præterea antequam ſolemne celebretur Matrimonium ſponſorum voluntates, an libere, & ſua ſponte, an vero metu, & coacte illud contrahant; an caſtitatis votum emiſerint, & circumſpecte in re tanti momenti procedant.

13 Si autem ſponſi, doloſe Parocho accerſito, Matrimonium celebrent, ſint ipſo facto excommunicati: & ſi Parochus ſcienter, & ſine ulla diſſentione aſſiſtentiam afferat, non ſolum per triennium ſit a Divinis ſuſpenſus, ſed etiam pœnæ centum ducatorum piis uſibus &c. ſit ſubjectus.

TITULUS IX.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

1 Sacrificium quod in ultima Cœna Chriſtus inſtituit, & in ſui memoriam in univerſa Eccleſia offerendum præcepit, non modo ab Iſaia Propheta (*a*), ut animadvertit Hieronymus (*b*), vaticinatum fuit, ſed & a Malachia (*c*) præſignatum, ubi ait: *ob ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Oblatio autem munda,

G quæ

(a) *Cap.* XIX. *v.* 19.
(b) *Comment. in cap.* 19. *Iſaiæ.*
(c) *Cap.* I. *v.* 2.

quæ ubique locorum Domino offertur, nulla alia esse potest, nisi Missæ Sacrificium, quod sine victimarum cruore, & sine loci coarctatione a novæ legis Sacerdotibus quotidie peragitur.

2 Duplici nomine designatur, Missæ videlicet *privatæ*, & *solemnis*; non quod proprie loquendo privata sit; nam quælibet Missa est commune & publicum sacrificium, & a publico & legitimo Ministro pro universa Ecclesia celebratur; sed quia usus invaluit, ut *privatæ* dicantur eæ Missæ, quæ a solo Presbytero absque sacrorum Ministrorum, Clericorumque comitatu, sed uno, vel altero Ministro Sacerdoti respondente, aguntur: an autem publico, vel privato in loco celebrentur, sive plures vel pauci sint, qui intersint, & communicent, sive nulli assistant, & communicent, nihil obest, quin *privatæ* dicantur.

3 Missa vero solemnis ea dicitur, quæ cantu peragitur, & aliquali saltem solemni Ceremoniarum apparatu, licet pauci assistant, & nemo præter Sacerdotem communicet: *Veteres*, inquit Eminentissimus Cardinalis Bona (*a*), *Missæ solemni præter exteriorem pompam addebant frequentiam populi offerentis, & communicantis:* quod & Tridentina Synodus (*b*) in Missis singulis exoptat, ut Fideles non solum spirituali affectu, sed

(a) *Lib.* 1. *Per. Liturgic. cap.* 13.
(b) *Sess.* XXII. *cap.* 6.

ſed & Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicantes, uberiorem Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructum percipiant. Verum ex quo plures non adſint, vel ſi adſint, non communicent, non inde ſequitur, ut effutiunt hujus noſtri aevi ſectarii, Miſſas illas illegitimas eſſe, aut integritati Sacrificii aliquod deficere; nam ut ſubdit relata Tridentina Synodus: *Miſſæ illæ vere communes cenſeri debent, partim quod in eis populus ſpiritualiter communicet, partim quod a publico Miniſtro non pro ſe tantum, ſed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Chriſti pertinent, celebrentur.*

4 Seculo nono invaluit aliud genus Miſſæ privatæ, quæ a quibusdam Miſſa *ſolitaria* dicebatur; eo quod eam ſolus Sacerdos, nemine reſpondente, miniſtrante, aut præſente, peragebat. At hæ Miſſæ ubi primum invaluerunt, a pluribus improbatæ ſunt, præſertim a Concilio Moguntino (*a*), & a Pariſienſi VI. (*b*) cujus Concilii Patres poſt multa inquiunt: *conveniendus, imo interrogandus nobis videtur hujuſmodi Corporis & Sanguinis Chriſti ſolitarius conſecrator, quibus dicit* Dominus vobiſcum, *& a quo illi reſpondetur* & cum ſpiritu tuo: *vel pro quibus ſupplicando Domino interea dicit;* memento Domine, & omnium circumſtantium, *cum nullus circumſtet.*

5 Multi tamen, præſertim S. Petrus Damia-

(a) *Ann.* 813. *can.* 43.
(b) *Lib.* 1. *cap.* 48.

ni in Opuſculo ad Leonem Incluſum, ſive Eremitam, eam ut licitam admittit, aſſeritque, quod Sacerdos ſolitarius, ſeu nullo Miniſtro reſpondente, vel aſſiſtente veraciter dicere poſſit, *Dominus vobiſcum*, & reſpondere *& cum ſpiritu tuo*, & alia his ſimilia, ut publicus Eccleſiæ Miniſter, eo plane modo, quo Sacerdos privatim, & ſolus Horas Canonicas recitans, poteſt ſimilia recitare, & ſibiipſi reſpondere. Sed juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam vetitum eſt, ſaltem extra extremum neceſſitatis caſum, ſine Miniſtro aſſiſtente, & reſpondente Miſſam celebrare ob reverentiam Sacrificii; adeoque unus adminus Sacerdoti celebranti aſſiſtere, & reſpondere debet.

6 Miniſter Sacerdoti hujuſmodi ſacrificanti aſſiſtens olim erat Clericus habitu, & ſuperpelliceo mundo, non lacero, & indecenti indutus, ut S. Carolus (*a*), pluresque aliæ Synodi, præſertim Belgicæ, & Aquenſis expreſſe mandarunt: hiſce noſtris temporibus, neſcimus, qua decentia, miniſtrare ſolent quidam pueruli incapaces, quidam neſcientes adhuc loqui, aut alii ex viliori plebe laceri, & audaces non ſine dedecore tanti Sacrificii, & magno Fidelium ſcandalo. Quapropter ut abuſum omnem ſive hominum incuria, & improbitate, ſive temporum vitio in Eccleſiam invectum evellamus, Parochos, & Sacriſtas omni, qua poſſumus efſica-

(a) *Conc. Mediol.* IV. *Part.* II. *cap.* 10.

ficacia hortamur, ut Clericos habitu, & superpelliceo mundo indutos quolibet die ad inserviendum Sacerdotibus singulis sacrificantibus adstringant sub pœna Clericis renuentibus quindecim dierum carceris; petit enim id nostri Sacrificii dignitas & sanctitas, petunt vices, quas totius populi supplet Ecclesiæ Minister.

7 Honoraria, seu eleemosynas nullus omnino Sacerdos accipiat, tanquam mercedem, aut prætium sacrificii, sed ut puram oblationem a Fidelibus sibi sponte datam; Sacrificium siquidem est infiniti valoris, nulloque prætio, aut mercede comparandum. Prioribus Ecclesiæ seculis panis & vinum pro Missis celebrandis offerebatur Sacris Ministris, & quod supererat, distribuebatur viduis, ac pauperibus; ineunte seculo nono, panis & vini loco successerunt honoraria prædicta, seu eleemosynæ, quæ ante, vel post Missam in Sacerdotis usum erogabantur, quamvis initio male oluerint, ut animadvertit Christianus Lupus; Unde factum est, inquit Mabilonius, ut laici ob modicam stipem singulas sibi Missas arrogare cæperint, & Sacerdotes singulas Missas pro eleemosynis singulis celebrare; imo Sacra Congregatio Concilii Tridentini auctoritate Summi Pontificis Urbani VIII. suffulta anno 1625. decrevit, ut tot Missæ celebrentur, quot ad statutæ eleemosynæ, quantumvis exiguæ, rationem præscriptæ fuerint; alioquin ii ad quos pertinet, suæ obliga-

tio-

tioni non satisfaciunt, quinimo graviter peccant, & ad restitutionem tenentur.

8 Ex quibus minime sequitur, Sacrificium aut non esse valoris infiniti, sicut antea, aut unice pro solo eleemosynam offerente celebrari; quandoquidem licet Sacerdos speciali & stricta intentione illud peragat pro eo qui eleemosynam elargitur, generali tamen intentione idem offert pro omnibus vivis, atque defunctis: hinc in Canone Missæ adest *Memento Vivorum*, & *Mortuorum*, de quibus aliquo modo distincte mentio fit: legitur etiam: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus &c.* quibus monemur pro omnibus Fidelibus tam vivis, quam defunctis Sacrificia in Ecclesia celebrari. His tamen non obstantibus specialiter offerri possunt pro iis, qui eleemosynam tribuunt, & tot sacrificia applicanda sunt, quot sunt honoraria obtenta, & si exigua. Nam non eadem est ratio de panis & vini oblatione, ac de eleemosynis, quæ nunc erogantur; tunc siquidem Fideles munera sua offerentes, haud Missam pro se specialiter celebrari petebant, sed ipsis sufficiebat Missæ Sacrificio conjungi, atque una cum Sacerdote illud offerre: nunc eleemosynas ea mente, & conditione offerunt, ut tot pro se, vel alio, quem nominant, Missæ celebrentur, applicenturque specialiter, quot sunt honoraria elargita; & ideo Sacerdotes hac intentione, &

lege

lege eleemosynas a Fidelibus oblatas accipientes justitiæ leges infringunt, si Fidelium intentioni non satisfaciant. Quapropter Alexander VII. (a) ut sordidam avaritiam, cæcamque quorundam Sacerdotum cupiditatem coerceret, hanc Propositionem proscripsit. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque est contra fidelitatem etiamsi promittam promissione juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

9 Hinc sequitur, quod si Missarum fundatio requirat, ut Missa certa hora, certo die, certoque loco, vel Ecclesia, aut determinato Altari, V. G. *Privilegiato* celebretur, circa hæc omnia Testatoris voluntas adimplenda est; alias fides Testatori promissa non servatur, & contra justitiam peccat, qui contra Testatoris voluntatem eleemosynam recipit. Quade causa Sacerdotibus omnibus, & singulis cujuscumque sint dignitatis, præcipimus, ut Missas ea hora, die, loco, Ecclesia, & determinato Altari, ut fundatio præscribit, celebrent, sub pœna Missas iterum celebrandi, & decem ducatorum pios in usus erogandorum.

10 Sint proinde in Sacrario libri parati, in quibus Sacerdotes singuli scribant, & notent, se in tali Ecclesia, die, hora, & Altari determinato Missas celebrasse, prout Legati fundatio præscribit, statimque, non prius ac Missam

(a) *Ann. 1665.*

sam celebraverit, manu propria quilibet scribat, sub pœna sex ducatorum piis usibus &c.. Quod Decretum Edicto nostro anno 1746. emanatum hac Synodica sanctione confirmamus, & ad omnes nostræ Diœcesis Ecclesias extendimus.

11 Sint pariter in quolibet Sacrario publice appensæ Tabellæ Missarum perpetuarum authentice efformatæ, & ad formam fundationis, ut dignosci possit quo die, qua hora, qua in Ecclesia, quove in Altari Missæ celebrari debent juxta Testatorum mentem, & elapso trium mensium spatio a die publicationis Synodi, transgressores Ecclesiastici pœna decem ducatorum piis usibus &c. multabuntur.

12 Nullus Sacerdos, Ecclesiasticus nullus audeat partem eleemosynæ pro Missa sibi traditæ retinere, dum Missam alteri celebrandam committit, ut definit Urbanus VIII. in Decreto *de celebratione Missarum*, & Benedictus XIV. in Bulla, quæ incipit *Quanta cura*: neque Ecclesiasticus ullus Missas alio celebrandas mittat, ubi minoris quantitatis juxta loci consuetudinem eleemosyna taxatur, vel exigitur, sub pœna suspensionis a Divinis Summo Pontifici in relata Bulla reservatæ.

13 Memores sint Canonici omnes cum hujus nostræ Cathedralis, tum Collegiatarum universæ Diœcesis, Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere applicare, ut

cla-

clare & peremptorie præcitatus Benedictus XIV decernit in Bulla, quæ incipit *Cum semper*: nec eis suffragari quorumdam opinionem, quæ in aliquas Ecclesias, sive dolo malo, sive per errorem invecta est; quod dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis; nam debitum hujusmodi non respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicumque Dignitates, Canonicatus, & Beneficia choralia obtinent.

14 Cum permaxime execrabile sit præpropere, seu ut vulgo dicitur, venatorum more Sacrosanctum hoc Sacrificium Deo offerre; exigit enim Ministri fidem altitudo Mysterii, pietatem ac dilectionem commemoratio Passionis Domini, humilitatem Majestas Altissimi, timorem ipse Judex vivorum & mortuorum, spem denique pretium, quo redempti sumus; ut ea, qua decet reverentia, & Religione peragatur, Ecclesiasticis Sacristis, & Rectoribus Ecclesiarum hujus Civitatis, etiam Monialium, & Parochis aliarum omnium Ecclesiarum totius Diœcesis præcipimus, ut quotidie Horologium in Sacrario habeant, horas mensurans, etiamsi pulvere mensuret, quo cognoscere possint tempus, quod in Sacro faciendo Sacerdotes singuli

consumunt, quod adminus tertium horæ esse debet, sub pœna Sacristis, Rectoribus, & Parochis aliter culpabiliter ac scienter facientibus, vel Episcopo hujusmodi Sacerdotes non denunciantibus, sex ducatorum piis usibus &c.; & Sacerdotes breviori tempore sacras Cæremonias, & Ritus in Missali Romano præscriptos absolventes, vel eos non servantes, pœna decem ducatorum in pios usus &c. multabuntur.

15 Caveant præterea Parochi, & Sacristæ prædicti, ut risus & clamores a Sacrario procul sint, sub pœnis alias a Nobis impositis, cum animum nihil magis a devotione abducat, quam inanes verborum strepitus; & aliunde Sacerdotes Missam celebraturos sanctis meditationibus instare deceat; & si aliquando loqui necesse sit, tantum submissa voce, paucisque verbis necessitati satisfacere permittant.

16 Non suscipiant Capitula quæcumque, neque Ecclesiæ receptitiæ, aut Parochiales hujus nostræ Diœcesis Missas perpetuas, sive privatas, sive cum cantu absque nostra expressa licentia in scriptis obtinenda sub pœna sex ducatorum.

17 Missarum eleemosynæ in hac nostra Diœcesi sint, ut sequitur: Missæ manualis planæ unus carolenus: Missæ planæ perpetuæ caroleni duo: Missæ cum cantu perpetuæ cum assistentia, Diacono nempe & Subdiacono, caroleni decem: sine assistentia caroleni quinque:

& Mis-

& Missæ manualis cum cantu caroleni quinqu e.

TITULUS X.

De Parochis.

1 PArochorum institutionem, quam Dionysio Pontifici, sedata Valeriani persecutione, acceptam referunt Canonistæ (a), figmentum judicant Eruditi recentiores, tum quia Epistola, quæ nomine Dionysii circumfertur, putidis Isidori Mercatoris mercibus adscribendam censent, tum quia ab aliis decessoribus Romanis Pontificibus legitur facta, ut animadvertit Annalium Parens Baronius (b); quo autem tempore facta sit divinari nequit: fuisse tamen Parochias ineunte IV. seculo certis limitibus distinctas, Presbyterisque divisas, clare liquet ex Apologia II. S. Athanasii, ubi ita loquitur S. Patriarcha: *Mareotes Ager est Alexandriæ, quo in loco nunquam Episcopus fuit, imo nec Corepiscopus quidem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent; ita tamen ut singuli Pagi suos Præsbyteros*, idest Parochos, *habent*. Hoc, quod tempore Athanasii in more positum erat, antea, & secutis inde temporibus factum est, dum propagata Christi Fide, impares Episcopi solis suis viribus ad omnes Fi-

H 2 deles

(a) *Gratianus Caus.* XIII. *Quæst.* I. *can.* I.
(b) *ann.* 370. *num.* 17.

deles regendum, in partem curæ Paſtoralis Parochos aſſumpſerunt, eiſque certas eorum Diœceſis Eccleſias aſſignarunt, ut eorum auxilio ſupplerent, quod per ſe præſtare non poſſent.

2 Hinc cum boni Paſtoris partes ſint, oves cuſtodire, ad opima & ſalubria paſcua ducere, cavere ne in noxias, & venenatas herbas ruant, a feris tueri, & in caulas reducere: Parochorum erit animas ſibi concreditas in Chriſti Fide inſtruere, Sacramentis reficere, viam ſalutis docere, eaſque virtutibus, & morum diſciplina præire; & ſcientes lupum ſemper circuire, quærentem quem devoret, nunquam eas mercenariorum more deſerant, ſed ut boni Paſtores per ſe omnibus adſint, alacriter Sacramenta miniſtrent, nec, quantum fieri poteſt, ſinant cujuſquam animam alienis manibus tradi. *Cum præcepto divino*, inquit Tridentina Synodus Seſs. XXIII. cap. I. de Reformat. *mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas cognoſcere, pro his Sacrificium offerre: verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere; pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia Paſtoràlia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: Sacroſancta Synodus eos monet &c.* Quapropter Parochis omnibus, aliarumque Eccleſiarum Rectoribus

præ-

præcipimus, ut ab eorum Cura, vel Parochia nunquam difcedant; & fi neceffitate cogente ab ea difcedere contingat, fuis vicibus idoneo Confeffario a Nobis adprobato commiffis, ultra biduum Nobis infciis non abfint: fi vero ultra biduum abfque noftra, vel Vicarii noftri Generalis expreffa licentia abfuerint, pœnam dabunt decem ducatorum piis ufibus &c.

3 Cum pluries Sacra Congregatio Concilii inhærens Tridentinæ Synodi Decreto nuper citato decreverit, Miffæ Sacrificium a Parochis pro ovibus fuis offerendum, & applicandum; curent propterea Archipresbyteri, & Parochi omnes fingulis Feftis de Præcepto, & diebus Dominicis hoc onus fibi ftricte injunctum adimplere, etiam fi tenuem & minime fufficientem congruam habeant, ut nuper definit Benedictus XIV. in Bulla fupra relata, quæ incipit *Cum femper* in cujus §. 8. hæc quæ fequuntur adjungit.

4 *Quia vero propria nonnunquam experientia fatis cognovimus, aliquos effe Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Miffarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, Ecclefia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, fub Vicarii, feu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipfis conftituti, & pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ neceffaria fufficiant; quod iis quoque non raro evenire*

nire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus Festis, quibus potissimum occassio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missæ recipere: Idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdem, quantum Nobis integrum est, consulere volentes; quamvis ut supra dictum est, omnes & singuli prædicti teneantur diebus Festis Missam pro populo celebrare, & applicare; attamen quod attinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique vestrum (singulis nempe Episcopis) *facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus Festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, & licite possint, & valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus Festis, infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.*

5 Illi itaque Parochi, aut Oeconomi, qui in angustia hujusmodi, & necessitate positi sunt, ut redditus ipsis constituti ægre ad eorum vitæ necessaria sufficiant, ad nostram Curiam paupertatis documenta deferant, ab eadem Curia comprobanda, & libenti animo facultatem a

Sum-

Summmo Pontifice Nobis juxta præſcriptum modum conceſſam eis elargiemur: qui vero paupertate deſcripta non laborant, & Miſſam pro populo ſingulis Feſtis, ac diebus Dominicis offerre, & applicare negligunt, irremiſibiliter pœnam dabunt decem ducatorum pios in uſus erogandorum.

6 Quia Legis ſcientia eſt adeo neceſſaria, ut ſine ea ſalutis ſemitam invenire nequeamus; præcipimus propterea Parochis, cæteriſque animarum Rectoribus; ut ſingulis ſaltem Dominicis, Feſtiviſque de præcepto diebus ad Miſſæ Sacrificium ſermonem habeant facilem, brevem, & auditorum captui accommodatum, quo genuinum currentis Evangelii ſenſum eis explanent, vitia, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oportet, annuncient, ac totis viribus ad ea ſequenda, vel vitanda eosdem adhortentur; & qui huic muneri, ut debent, non ſatisfecerint, pœna ducatorum quatuor ſingulis vicibus multabuntur.

7 Hora pomeridiana dato campanæ ſigno, & etiam per aliquem Clericum, ſi commode fieri poterit, pueros, puellaſque omnes in Paræciam convocare ſtudeant, eoſque ſuo ordine, & loco diſpoſitos (maribus ſemper a foeminis ſeparatis) rudimenta Fidei doceant ſub pœna ſex ducatorum; utque adoleſcentes promptiori animo ad Eccleſiam conveniant, eorum partes erunt, Patresfamilias monere, quemadmodum

dum

dum & Nos monemus, & hortamur, ut proprios filios ignorantes Mysteria Fidei statutis diebus & horis ad Paræciam mittant, & domi bonis moribus, verbis, & exemplis instituant, eadem crebro ipsis repetentes, quæ a Parocho didicerunt. Post quam admonitionem dum eorum confessiones audiunt, eos interrogent, num revera filios suos Mysteria Fidei ignorantes ad Christianam doctrinam addiscendam mittant, quos si post primam, & secundam seriam admonitionem adhuc contumaces repererint in hujusmodi Patresfamilias debito munere adimplendo erga suos filios Sacramentalem absolutionem ipsis non impertiant, cum eam Nobis reservemus: & huic Decreto omnes, & singulos nostræ Diœcesis Confessarios tam seculares, quam Regulares subjicimus.

8 Ut autem Nobis certo constet, bona adolescentum institutio, Catalogum puerorum, & puellarum Christianam doctrinam callentium, & eorum, qui in Paschate Sacram Synaxim acceperunt singulis annis ad nostram Curiam Parochi omnes, aliique animarum Rectores mittere teneantur.

9 Quia tamen non omnes pueri, & puellæ in Fidei Mysteriis instruendi Civitates, Terras, & Oppida habitant (quod non sine cordis mœrore cogitamus) sed non pauci animalium custodiæ addicti in Sylvis, aliisque campestribus in locis rusticam vitam agentes, neque si spi-

ritus

ritus Sanctus est unquam audierunt; quinimo in nonnullis Oppidis etiam frequenti populo refertis quidam occurrunt adulti, qui principalia Fidei Mysteria ignorant, & quod magis deplorabile est, ea cum cæteris pueris in Schola, aut in Ecclesia addiscere erubescunt; ideo æternæ hujusmodi perditissimorum hominum saluti, omni quo possumus modo, consulere cupientes, Parochis, & Rectoribus omnibus animarum districte præcipimus sub pœna decem ducatorum piis usibus &c., & in subsidium sub pœna suspensionis a Divinis Nobis reservata, ut infra earundem Missarum solemnia statim post habitum ut supra Sermonem alta voce, & materno idiomate sequentia saltem cantando edoceant: *Signum Sanctæ Crucis*: *Mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis*: *Symbolum Apostolorum*: *Orationem Dominicalem*: *Salutationem Angelicam*: *Præcepta Decalogi*: *Præcepta Ecclesiæ*: *Septem Sacramenta*: *& actus Fidei*, *Spei*, *Contritionis*, *& Amoris Dei*. Quæ omnia ut commode, exacteque executioni mandentur, omnibus & singulis Sacerdotibus præcipimus sub pœna sex ducatorum piis usibus &c., & in subsidium sub pœna suspensionis a Divinis Nobis reservata, ne ullo modo, vel quovis prætextu Sacrum facere audeant, dum Parochi Missam Parochialem celebrant; ne populi Conventus unde dicitur Missa Parochialis dissolvatur, & ita distractus supra relata non recitet.

10 Cum autem invalida ſit Sacramentalis abſolutio, quam quis ignoranti res neceſſitate *Medii* ad ſalutem neceſſarias impertitur; quia ut decrevit Benedictus XIV. in Bulla, quæ incipit, *Etſi*, nequeunt homines per hoc Sacramentum Deo reconciliari, niſi excuſſa prius ignorantiæ caligine ad agnitionem Fidei reducantur; non modo Parochis, ſed Confeſſariis omnibus præcipimus, ut hujuſmodi homines haud abſolvant; ſi alii ſibi præſententur, quos vitio ſuo neceſſaria neceſſitate *Præcepti* neſcire compererint, in aliud tempus abſolutionem differant; ſi vero ignorantiam agnoſcant, & accuſent, ac intime dolentes cum a Deo veniam precentur, tum ipſis ſerio promittant ſe impenſe operam daturos, qua Divinæ gratiæ præſidio etiam neceſſaria neceſſitate *Præcepti* addiſcant, eo in caſu abſolvi poſſunt; ut & idem docet Summus Pontifex in Bulla relata.

11 Moneant mulieres prægnantes, ut imminente partu, peccata ſua confiteantur, & cœleſti Epulo ſaginentur, ut periculum, quod ſubituræ ſunt, Divina gratia adjutæ fortius declinare queant.

TITULUS XI.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

1 Clericorum vita non minus habitu, & tonſura, quam ſcientia, & moribus laudabi-

dabilis esse debet ; ut qui laicis gradu , & ordine præsunt , eos moribus , & doctrina præeant. Quam obrem in sortem Domini vocati, ne manum ad aratrum mittentes , respiciant retro , quæque seculi sunt amare dediscant, quæ sequuntur eis observanda mandamus.

2 Imprimis ne videamur hic actum agere, quæ alias a Nobis ex præscripto Sacrorum Canonum circa Vitam , & Honestatem Clericorum in Sancta Visitatione statuta fuere, etsi ab aliquibus Ecclesiasticis oppugnata , recursum habendo ad Sacram Congregationem Concilii, a qua approbata fuerunt , eadem omnia Synodica hac Sanctione innovamus, ac si de verbo ad verbum hic inserta essent, ab omnibus , ad quos spectant, observari præcipimus sub pœnis ibidem statutis , & comminatis.

3 Si Sacerdos aliquis , aut alter in Sacris constitutus secularem , quod absit , gestaverit habitum , aut clericalem exuerit , pœna decem ducatorum piis usibus &c. multabitur : Si Clericus fuerit, etiam in minoribus constitutus, privilegio Canonis, & Fori privabitur : Si vero Novitius, a publica Tabella in Sacrario apposita eradetur.

4 Cum ex Divo Ambrosio (a) Clericorum arma sint orationes , & lacrymæ ; ideo omnibus & singulis Ecclesiasticis cujuscumque dignitatis, & ordinis, mandamus, ne absque Nostra, vel

(a) *Epist.* XXXIII.

vel Vicarii nostri Generalis expressa licentia arma cujuscumque generis pro venationis usu deferre audeant sub pœna sex ducatorum piis usibus &c., armorum amissionis, & unius mensis carceris formalis; ea vero per Regias Pragmaticas vetita omnino prohibemus, sub pœna pro Nobilibus exilii per annos quinque, pro aliis damnationis ad triremes per totidem annos; & si ea sibi deferri fecerint, vel domi penes se retinuerint, cujuscumque sint conditionis, pœna carceris formalis per triennium multabuntur.

5 Ludos quoque a Sacris Canonibus vetitos, eos nempe, qui vulgo dicuntur *la Bassetta*, *Invito*, *Dadi*, *Tocco*, *e Morra*, omnibus & singulis Ecclesiasticis cujuscumque etiam dignitatis, & conditionis, interdicimus sub pœna ducatorum decem piis usibus &c.; neque cauponas, ad quas nulli Ecclesiastico divertere liceat, nisi in itinere ex necessitate, neque domos, ubi hujusmodi lusorum cætus habentur, ingrediantur, sub eadem pœna omnino solvenda; nec aliis ludis ludant, nisi cum personis Ecclesiasticis, temporibus Quadragesimæ, & Adventus exceptis; nunquam tamen publicis in locis sub pœna ducatorum sex piis usibus &c.

6 *Ubi saltus lascivus, ibi Diabolus*, inquit S. Joannes Chrisostomus (*a*), & S. Ephrem, *ubi citharæ, chori, ac manuum plausus, ibi virorum, & mu-*

(a) *Hom.* XL. *in Matth.*

& mulierum perditio; prohibemus propterea Ecclesiasticis omnibus choreas agere, gesticulatorum, Histrionumque Comoediis, sive Circulatorum ludis interesse sub pœna ducatorum decem piis usibus &c.; & quia scelus est abominandum tempore Baccanalium larvatos per vias incedere, Comœdias recitare, per Urbem, vel Terras solos, aut associatos discursus facere cantando, aut chordarum, tibiarumque sonos eliciendo, hæc etiam omnia sub eadem pœna ipsis interdicimus.

7 *Nemo militans Deo*, inquit Apostolus II. ad Timoth. 2. *implicat se negotiis secularibus: ut ei placeat cui se probavit*. Ea propter in sortem Domini vocatis mercimonia, & negotiationes omnes vetamus sub pœna decem ducatorum piis usibus &c.: neque in negotiis secularium se ingerant, aut ea peragant præter formam a Decretis Sacrarum Congregationum Concilii, & Episcoporum, ac Regularium descriptam, vel contra Bullam Summi Pontificis Benedicti XIV., quæ incipit, *Apostolicæ servitutis*, (*a*) sub pœnis arbitrio nostro infligendis.

8 Ecclesiastici omnes in Sacris, vel minoribus Ordinibus constituti, quinimo Clerici singuli, ac Novitii huic nostræ Cathedrali, aliisque Ecclesiis tam hujus Civitatis, quam totius Dioecesis adscripti, earumdem Ecclesiarum servitia, inconsulto Episcopo, non deserant juxta

(a) *die* 25. *Feb. ann.* 1741.

xta Tridentini Concilii præscriptum sub pœnis ab eodem Concilio statutis; in habitu talari & tonsura incedant; a clamoribus in Sacrario abstineant; Venerabile, dum ad infirmos defertur, devote, & modeste comitentur; & ea peragant omnia, quæ a Parochis, vel ab aliis Superioribus ipsis imponuntur; Missas diebus singulis audiant, inserviant Sacerdotibus Sacrum facientibus; & ad minus singulis quindenis diebus Sacra Synaxi se reficiant; quod etiam præstabunt Diaconi & Subdiaconi. Huic Cathedrali, & Collegiatis, ac receptitiis Ecclesiis addicti, festivis diebus omnes & singuli inserviant ab hora Chorali matutina ad Missam usque Conventualem inclusive, cui assistentiæ teneantur etiam in Sacris constituti; infra hebdomadam inserviant illis diebus, qui a Sacristis, vel Parochis fuerint singulis assignati: & transgessores si fuerint in Sacris constituti pœnam dabunt singulis vicibus carolenorum quinque piis usibus &c., si Clerici, & Novitii pœna arbitrio nostro pro inobedientiæ gravitate plectentur; crescente vero contumacia, Diaconi & Subdiaconi quindecim diebus carceris formalis erunt subjecti, Clerici, & Novitii privilegiis Clericalibus, & habitus delatione privabuntur.

9 Omnes & singulos nostræ Dioecesis Ecclesiasticos monitos volumus, quæ hucusque de Vita & Honestate Clericorum diximus, a

Tri-

Tridentino Concilio decreta fuisse, nullique appellationi subjacere. *Decet omnino*, inquit Sess. XXII. cap. I. *Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei, & utilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint observanda; statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon secularibus negotiis fugiendis copiose & salubriter sancita fuerunt, eadem imposterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.*

10 Curent præterea Clerici primæ Tonsuræ, & in minoribus constituti, singulis annis præsentare in nostra Episcopali Curia Parochorum, Magistrorumque Locorum, sicut etiam Rectoris, & Lectorum nostri Seminarii, in quibus morantur, Testimoniales, quibus constare faciant, se Sacri Concilii Tridentini requisita observasse circa habitum, & tonsuram Clericalem, Ecclesiæ servitium, Sacramentorum frequentiam, studiorum, & reliqua ad

eo-

eorum ſtatum pertinentia: quibus præſentatis, ſi de obſervantia requiſitorum conſtiterit, declaratoriam gratis accipient, *conſtare de requiſitis*, & in publica Tabella Sacrarii hujus noſtræ Cathedralis, aliarum totius Dioeceſis Eccleſiarum de ordine noſtro appenſa ſcribentur; eamque caute apud ſe retineant, ut loco & tempore illam oſtendere queant: ſecus facientes neque in Tabella ſcribentur, neque Clericalibus privilegiis gaudebunt, ut in Bulla Concordatorum præcipit Benedictus XIV.

11 Præcipimus quoque omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis intra fines noſtræ Dioeceſis commorantibus cujuſcumque ſint gradus, dignitatis, & conditionis, ne domi mulieres retineant, niſi ſint in ſecundo conſaguinitatis, vel affinitatis gradu ſibi conjunctæ: neque famulatus prætextu, vel quovis alio quæſito colore cum illis ſub eodem tecto cohabitent, niſi prius expreſſam a Nobis licentiam in ſcriptis obtinuerint ſub pœna carceris formalis per duos menſes, & ultra ad arbitrium pro modo culpæ.

TITULUS XII.

De Canonicis hujus noſtræ Cathedralis, & Collegiatarum totius noſtræ Dioeceſis.

1 Solemnem Divini Officii perſolutionem unam eſſe e præcipuis Canonicorum obligatio-

gationibus, nemo eſt, qui ignoret; maxima enim pars regulæ ab Aquiſgranenſi Synodo Canonicorum gratia conſcriptæ circa modum, & normam perſolvendi Horas Canonicas verſatur; nihilque in Conciliis tantopere inculcatum eſt, quam in Choro Dei nomen Hymnis, & Canticis laudetur: & ne cuilibet terribilis illa Salvatoris noſtri ſententia (*a*) aptetur: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me:* inter alia Tridentina Synodus (*b*) decrevit: *in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare:* ex quibus colligit SS. Dominus Noſter Benedictus XIV. in Bulla, quæ incipit, *Cum ſemper*, Canonicos niſi cæteris pſallentibus attente, & devote ſe adjungant, muneris ſui partes non exequi, neque præbendarum, & diſtributionum fructus ſuos facere, & ad eorum reſtitutionem teneri.

2 Cum porro Divinum Officium juxta normam a multis ſeculis receptam ſeptem conſtet partibus, Matutino nempe, ſub quo Laudes comprehenduntur, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperis, & Completorio, quibus Canonici Choro adſcripti intereſſe debent, illaſque quantum eis dederit Deus ſtudioſe celebrare, ut decrevit Lateranenſis Synodus ſub Innocentio III. coacta; conſequens eſt eos, non uni,

K alte-

(a) *Matth.* xv. v. 8.
(b) *Seſs.* xxiv. *cap.* 12.

alterive Horæ, ſed omnibus cum majoribus, tum minoribus, quæ ad integrum, ideſt nocturnum, diurnumque Officium ſpectant, intereſſe debere, & per ſe non per ſubſtitutos illas perſolvere, ut inquiunt Tridentini Patres Seſs. xxiv. cap. 12. de Reformat. *Omnes Divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia:* cum ratio ipſa dictet, unumquemque ad ea, quæ ex inſtituto, profeſſioneque ſibi incumbunt, & injuncta ſunt, teneri. Quod de Divino Officio diximus, dicta quoque eſſe volumus de Miſſa Conventuali, quæ communiter Divini Officii pars cenſetur.

3. Hæc magna animi alacritate, atque ſine ulla ſpe lucri præſtanda eſſent ab omnibus Eccleſiaſticis, quia digni facti ſunt Dei laudes in Terris enarrare. Verum animo repetens pia Mater Eccleſia quorumdam negligentiam, & teporem in Divinis perſolvendis Officiis, quotidianas diſtributiones inſtituit, & probavit, ut earum privatione multati Choro addicti, diligentiores evaderent; at non eo ſine diſtributiones inſtitutæ ſunt, aut Choro intereſſe oportet, ut eæ lucrentur, ſed ut non minus in Eccleſia, quam in illa, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem diligenter nomen Domini laudetur: *voluntarie*, inquit Regius Vates (a), *ſacrificabo tibi:* quod ſi ſpe quæſtus Sacrificium laudis Deo offeratur, non voluntarie, ſed ex neceſſitate offertur: *Si propter*

(a) *Pſal.* LIII. *v. 6.*

pter aliud laudes Deum, ſubdit S. Pater Auguſtinus ſuper verba relata (*a*), *ex neceſſitate laudas*, *ſi adeſſet tibi*, *quod amas*, *non laudares Deum ; vides quid dicam : laudas Deum V.G. ut tibi det amplam pecuniam; ſi aliunde haberes amplam pecuniam*, *non a Deo*, *nunquam laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum*, *non voluntarie ſacrificas Deo*, *ſed ex neceſſitate Deo ſacrificas* : & quia eodem Auguſtino judice, res, quæ propter aliud quæritur, inferior (apprehenſione quærentis) eſt, quam illud propter quod quæritur : *Si Evangelium*, inquit, *& Regnum Dei proper cibum* (ſupple diſtributiones) *quærimus*, *priorem facimus cibum*, *poſterius Regnum Dei* : a mentali Simonia haud ſunt immunes, qui Choro interſunt unice, aut principaliter pro denario, ut poſt Gloſſam Cap. unico *de Clericis non reſidentibus* in IV. docent Canoniſtæ; nam Simoniæ ratio in eo præcipue conſiſtit, quod morali agendi modo res ſpirituales temporalibus æquiparantur, aut etiam poſtponuntur, ipſaque Spiritualia, ut medium ad temporalia obtinenda ordinantur. Ille autem turpis lucri gratia Horis Canonicis intereſſe cenſetur, qui illas ſolicite frequentat, & Miſſæ adeſt, quibus majores adnexæ ſunt diſtributiones, alias vero minoris utilitatis ſine juſta cauſſa paſſim negligit; etenim licet id ex interiori animi affectu dependeat, haud tamen indicium obſcurum eſt, Horas Canonicas ab eo perſolvi non Religionis,

 Di-

(a) *in Pſal.* 53.

Divinique cultus amore, ſed amore pecuniæ, & diſtributionum, ad quas tanquam medium Dei laudes ordinat (a). Quapropter ut diligentiori frequentia, magnaque animi devotione, & reverentia Choro ad Horas Canonicas, Miſſam, vel Miſſas Conventuales celebrandas interſint præcipue præ aliis Canonici, non ſolum omnia Edicta de vita, & honeſtate Clericorum alias a noſtris Prædeceſſoribus lata, dummodo legibus in hac Synodo ſtatutis non adverſentur, & quæ a Nobis uſque ad præſens tam in Sancta Viſitatione, quam extra quomodolibet edita ſunt, in ſuo robore permanere volumus; Verum etiam omnia, quæ ſpecialiter ſuper hac re in noſtro Edicto mandavimus, denuo, & ſub eiſdem pœnis in præcitatis Edictis contentis mandamus, & præcipimus, ac veluti Synodali huic Decreto de verbo ad verbum inſerta confirmamus, roboramus, & innovamus.

4 Quemadmodum tenore eodem innovamus, & confirmamus, quæ de augmento punctaturæ mandavimus a duodecim ad quindecim obulos ſingulis diebus pro tribus Dignitatibus tres portiones habentibus: ab octo ad duodecim obulos ſingulis diebus pro quinque primis Canonicis duas habentibus portiones: & a quatuor ad quinque obulos pro tribus ultimis Canonicis Capitularibus, & aliis, qui de Adjuncta dicuntur. 5 Ro-

(a) *Synodus Colonien. & Synod. Pariſien. ſub Steph. Epiſc. celebrat.*

5 Roboramus etiam, & innovamus quæ de Procuratore Capituli diximus, nempe quod teneatur Choro interesse, & punctaturæ subjacere; exceptis diebus Conciliaribus, & aliis duobus in qualibet hebdomada, non tamen Festivis, ut in moderatione hujus Decreti de mense Augusti 1746. explicavimus.

6 Confirmamus præterea, & innovamus alia duo Decreta ejusdem Nostri Edicti; quod nempe Canonici Parochi censeantur Choro interesse, & distributiones quotidianas lucrari, cum Curam animarum exercent juxta explicationem datam in præcitata nostra moderatione: & quod omnes Canonici, Parochi, & Confessarii interesse teneantur lectioni Sacræ Scripturæ sub pœna unius caroleni singulis vicibus in favorem Sacrarii hujus Cathedralis.

7 Notum facimus quatuor hæc nuper relata Decreta, quæ Nos Auctoritate ordinaria decrevimus, & in nostro citato Edicto apponi jussimus, a Sacra Congregatione Concilii ad supplicem libellum a quibusdam Canonicis eidem porrectum confirmata, & roborata fuisse, cujus authenticum originale rescriptum in hoc nostro Episcopali Archivio asservatur.

8 Ad personalem in Choro residentiam ex jure communi Canonicos cogit Tridentina Synodus, dum Sess. XXIV. cap. 12. de Reformat. statuit, *obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegia-*

tis

tis Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non licere vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus illarum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Quo Decreto quamcumque immemorabilem consuetudinem, vel Ecclesiæ statutum vacandi ultra tres menses a Chori servitio sublatum esse, teste Fagnano (*a*), olim interpretata est Sacra Concilii Congregatio: nec ullum a residentia excusat Præbendæ, vel Beneficii exiguitas, ut nonnulli ob Præbendæ, vel Beneficii tenuitatem ad personalem residentiam non teneri sibi suadent; nam idem Fagnanus ad cap. *Conquerente* de Clericis non residentibus notat: *Beneficium quantumcumque minimum (puta viginti solidorum) ex quo detur pro Titulo, de jure communi personalem residentiam requirit, adeout non residens, Beneficio privari debeat*: & Nos dubio procul Canonicatu, & Beneficio eos privabimus, qui contra Tridentini, & juris communis Leges pertinaciter a residentia absuerint.

9 Residere autem juxta Canonum, Tridentinique Decreta, est cum effectu Ecclesiæ deservire; siquidem *residentia*, ait loco nuper citato num. 24. Fagnanus, *debet esse laboriosa, non desidiosa, cum Beneficia ad* Divinum *cultum, & Ecclesiastica munia obeunda sint instituta: quid enim prodest præsentia in loco*, inquit Glossa ad cap. unic. de

(a) *ad cap. de Præbendis num. 32.*

de Clericis non residentibus in 6. *ex quo Divinis non adsunt?*

10 Notandum tamen hoc loco venit, concessionem, sive permissionem absentiæ a Choro ad tres menses juxta Tridentinum, haud ita intelligendam esse, quasi Canonici per tres menses libere, & licite pro libitu a Choro abesse possint; sed potius quod ultra illud tempus absque honesta, & legitima caussa absentiam non protrahant; nam Tridentinum Concilium proprie loquendo nullum tempus absentiæ dedit, aut constituit, sed tantum prohibuit, ne residentiæ obnoxii absentiam ultra trium mensium spatium protraherent; etenim ut recte animadvertit Fagnanus, Tridentinum non processit *concedendo*, *sed probibendo*.

11 Verum quoniam Sacra ejusdem Concilii Congregatio trium mensium a Choro absentiam sive per hebdomadas distributam, sive sine ulla interruptione juxta locorum consuetudinem, Canonicis concessit, & consuetudo in hac nostra Cathedrali obtinuit, ut Canonici ea per hebdomadas distributa gaudeant; ultra hoc tempus & ipsi absque legitimo impedimento nequeunt a Choro abesse, & Episcopus nequit ipsis hanc facultatem concedere, quia neque Concilii Tridentini interpres est, neque supra Leges ab eo latas jus ullum habet: & si Canonici ultra tres menses absque legitima caussa absint, ultra quam quod peccare videntur mortali-

taliter, non tantùm distributionibus quotidianis, sed crescente contumacia, pro modo culpæ fructibus Præbendæ, & etiam Canonicatu privandi sunt (*a*); alias si distributionibus tantum quotidianis quis negligens semper privandus esset, haud pauci invenirentur, qui toto anni cursu a Choro abessent.

12 Ponimus ob oculos Dignitatum, Canonicorum, Archipresbyterorum, Parochorum, ac Ecclesiasticorum omnium, qui Beneficia Ecclesiastica possident, verba S. Caroli Borromei Archiepiscopi Mediolanensis (*b*): *Ubi primum*, inquit, *Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam, & conditionem consecuta sunt, ut in alium, quam in Sacrum, & pium usum, eorum fructus converti nefas esset. Quam ob rem universos, qui Ecclesias, & Beneficia Ecclesiastica quæcumque obtinent, per viscera Jesu Christi obtestamur, atque monemus, ut meminerint ea bona non esse sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honeste, ut fidelem Dei Ministrum, & pietatis Christianæ Magistrum decet, traducendam: ex eo vero quod superfluit, si necessaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant, se quos non paverint, occidisse, atque ob violatam sanctissimæ charitatis legem, mortale peccatum commisisse, quo sibi iram in die iræ thesaurizaverint.*

13 S. Petrus Damiani qui seculo XI. scripsit, *ad hoc Ecclesiis*, inquit, *prædia conferuntur, ut ex iis*

(a) *Conc. Trident. Sess.* XXIV. *cap.* 12. *de Reformat.*
(b) *in Conc.* 1. *Provincial. Part. II. cap.* 64.

iis pauperes sustententur; indigentes alantur, & ex iis pupillis, & viduis subsidium procuretur.

14 S. Bernardus, qui eodem pariter seculo floruit, ait; *res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur: sane patrimonium sunt pauperum facultates Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur quidquid sibi ministri, & dispensatores, non utique domini & possessores ultra victum accipiunt, & vestitum*: & Epist. II. § 11. ad Falconem Canonicum scribens, eum his verbis admonet: *conceditur tibi, ut si bene servis, de Altario vivas, non autem ut de Altario luxurieris.... Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*: & Canonico Fulconi respondenti: *sed hoc faciunt ii cum quibus habito, si non facio quod cæteri de singularitate notabor*: reposuit mellifluus Doctor: *utinam omnibus Clericis, qui se ob aliorum consuetudinem, maxime prædecessorum, quinimo & viventium in dilapidationem proventuum Ecclesiasticorum securi excedunt, saperet.... exi de medio eorum, ne aut in Urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum.*

15 Hæc serio advertant, considerentque Beneficiati, Archipresbyteri, Parochi, Canonici, Dignitates &c., qui dominos se censent Præbendarum, proventuumque Ecclesiasticorum, hisque cum eorum æternæ salutis jactura Parentes & Consanguineos ditant: Parentes juxta Tridentinum si pauperes sint, ut pauperes

considerari debent, & tanquam pauperes subveniri, non vero ditari. At judicia Dei abyssus multa.

TITULUS XIII.

De Conferentia Casuum Conscientiæ.

1 PEr Oseam Prophetam (a) Terræ Israel minatus est Deus: *quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*: quæ verba satis innuunt, magnam in Sacerdotibus requiri scientiam; siquidem si Levitas, qui Dei populum ad omne Legis munus instituere debebant, Sacerdotio submovendos Deus ipse promisit, eo quod ejus scientiam posthabuerunt; quanto magis abominabiles erunt Sacerdotes novi fœderis, qui Fideles Christi, & in Lege instruere debent, & Sacramentis reficere, si eandem scientiam negligant? Tanto abominabiliores erunt, quanto longior distat umbra a veritate. Ut igitur Ecclesiastici omnes necessariam doctrinam assequantur, præcipimus, ut semel in hebdomada certo die, & hora assignanda, tam in hac Civitate, quam in Universa Dioecesi habeatur conferentia casuum conscientiæ, cui interesse teneantur omnes de Clero, etiam in Sacris constituti, Omnes Canonici, Parochi, Confessarii, & Sacerdotes cujuscumque dignitatis, & conditionis.

2 Et

(a) *cap.* IV. *v.* 6.

2 Et quia non sine gravi nostri cordis mœrore accepimus, experimentoque didicimus, Sacrorum Altarium Ministros parum vel nihil de Dei Majestate, cujus famulatui addicti sunt, solicitos, in Choro, in Altari, & in reliquis Ecclesiasticis Officiis ita minus apte se habere, ut in plurimorum scandalum, & exemplum perniciosum id cedere dignoscatur; ne itaque Rubricæ ignorentur, vel Sacræ Cærimoniæ usu ipso vilescant, præcipimus præterea, ut tam in hac Civitate, quam in tota Dioecesi certo die, & loco ut supra conferentia Sacrorum Rituum habeatur: alternatim nempe in una hebdomada proponatur casus Conscientiæ, & in altera casus rituum, cui etiam interesse teneantur supra signati, sub pœna transgressoribus, & uni vel alteri conferentiæ non intervenientibus, quinque obulorum singulis vicibus, applicandorum in hac Civitate Sacrario nostræ Cathedralis; in Dioecesi vero piis usibus arbitrio nostro.

3 In Civitate constituimus Præfectum Conferentiæ : in Dioecesi Parochos, & Rectores, qui legitime impediti substituere possunt ad eorum arbitrium pro-Præfectos; saltem quousque Nos de eorum impedimento certiores reddant, vel id ad nostram perveniat notitiam.

TITULUS XIV.

De Sacro Seminario.

1 FUisse veteribus Ecclesiæ seculis Collegia, in quibus juniores Clerici sub Episcoporum regimine instituti, tanquam ligna secus decursus aquarum plantata fructum dabant in temporibus suis, abunde patet ex Ecclesiastica Historia. S. Athanasius videns Monachismum in Aegypto florentem Seminarium fuisse in Ecclesia Dei Sanctissimorum Episcoporum, Monachorum instituta in Clerum Ecclesiarum Civitatis transferre sategit (*a*): quod in Oriente præstitit Athanasius, in Occidentem transvexit Eusebius Vercellensis Episcopus (*b*), a quo S. Martinus Turonensis, & S. Pater Augustinus deinde acceperunt, ut præstantissimum hoc vitæ genus Clericali statui conjungerent; & eorum vota adeo fortunavit Deus, ut S. Possidius (*c*) miris laudibus efferat Augustinum, quod Clericorum Monasterium a se constructum, non secus ac Monachorum Coenobia antequam Episcopus fieret, viros doctos sancteque institutos variis Ecclesiis darent.

2. His aliisque Collegiis passim fere ab Episcopis erectis successerunt scholæ, quas Carolus

(a) *Euseb. Epist. ad Vercell.*
(b) *S. Ambrosius Epist.* XXVIII.
(c) *in Vit. S. P. Aug. cap.* 2.

lus Magnus in singulis Monasteriis & Episcopiis instituit (a). At injuria temporum, vel Episcoporum incuria a Seculo XI. ad Seculum XVI. adeo collapsæ sunt, quod eo demum res devenit, ut præter scholas publicas, aut aliquas privatas in Regularium Monasteriis, difficile esset Episcopales scholas invenire; in quibus juventus ad Ecclesiastica munia obeunda disponeretur (b); hinc animadvertentes Tridentini Patres non esse in Ecclesia Dei operarios Evangelicos, quales eos desiderat Apostolus (c), quia non erant Episcopales Scholæ, in quibus adolescentes ad Clerum aliquando promovendi in sacris literis, Institutisque Canonicis erudirentur; in Tridentina Synodo harum scholarum instaurationem petierunt, eorumque vota Sancta Synodus approbans, decrevit (d), ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ &c. certum puerorum numerum Civitatis, Dioecesis, vel Provinciæ in Collegio prope Ecclesias, vel alio convenienti loco ab Episcopo deligendo, alere, religiose educare, ac Ecclesiasticis disciplinis instituere tenerentur; ut Episcopi, pro ut eis opportunum videbitur, eorum alios Minifte-

(a) *Jonas Aurelian. præfat. Comment. adver. Claud. Taurin. & Conc. Cabilonense cap.* 3.

(b) *Thomasinus de Discipl. Eccles. Part.* IV. *Lib.* II. *cap.* 31.

(c) I. *ad Timoth.* 3.

(d) *Sess.* XXIII. *cap.* 18.

ſterio Eccleſiæ admoverent, retinerent alios in Collegio, & alios in eductorum locum ſufficerent, ne Miniſtri unquam Eccleſiæ deeſſent, & Collegium quodlibet *Seminarium* perpetuum evaderet Operariorum Evangelicæ Legis. Quam Seminariorum inſtraurationem tanti fecit Tridentina Synodus, ut teſte Eminentiſſimo Cardinali Pallavicino (*a*) ea una toleratos a ſe in Concilio incommoda cumulatiſſime compenſata crederet.

3 Inter eos, qui primo manum pio, ſaluberrimoque huic operi admoverunt, fuit S. Carolus Mediolanenſis Epiſcopus; & ubi primum illud aggreſſus eſt, prævidens inimicus homo fructum inde proventurum, rumores ſpargere cœpit, Seminaria eſſe carceres, quibus Sanctiſſimus Antiſtes tenebat juvenes incluſos, quod fierent phthiſici ex nimiis vigiliis, jejuniis, parſimonia victus, & frequentibus ſpiritus exercitationibus; & hic rumor a Diabolo ſparſus multos adoleſcentes ab ingreſſu primum retraxit; at ejus falſitate ſenſim detecta, non tantum pauperes, verum etiam divites, & magnates admitti poſtularunt, ipſamque admiſſionem beneficii loco reputarunt (*b*); Quo exemplo inſtructi Seminariorum Rectores, quod nunquam a recta juvenum inſtitutione deſciturı ſint, ſperamus; nam ſuſurrones, invidia impel-

(a) *Lib.* XXII. *Hiſt. Conc. Trid. cap.* 8.
(b) *in Vit. S. Carol. Gallic. conſcript. Lib. I. cap.* 12.

pellente, vel Diabolo instigante, latrare possunt, mordere vero, divina adjuvante gratia, nequeunt; confidant in Domino, quia scriptum est (a): *peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, & desiderium peccatorum peribit.*

4 Quapropter cum Seminaria ea potissimum de caussa erecta sint, & restaurata, ut in iis boni strenuique ad curam animarum, quas pretioso suo sanguine Christus redemit, instituantur operarii Evangelici, & instructiores Ecclesiæ Ministi evadant, nemo Seminarium ingrediatur, qui ad ordines ascendere, atque Ecclesiæ ministeria obire noluerit: & in casu quod progressu temporis de statu mutando consilium capiat, peccat si in Seminario eo fine vivat. *Si in Seminario sint aliqui*, inquit S. Carolus Archiepiscopus Mediolanensis (*b*), *qui aliqua ratione non ostendunt, se idoneos Sacerdotes ad animarum curam evadere posse, e Seminario dimittantur; cum non ea de caussa sit institutum, ut in eo simplices Sacerdotes sibi tantum utiles futuri educentur:* & alibi: *si quis progressu temporis de statu mutando consilium caperet, etiamsi de Religione ingredienda cogitaret, peccaret, si in Seminario hoc animo viveret, in alium finem consumens, quod ad operarios solum pro Ecclesiarum auxilio est constitutum.*

5 Ad animarum curam, vel ad quodcumque

(a) *Psal.* cxi. *v.* 9.
(b) *Part. I. cap.* 2.

que aliud Ecclesiæ ministerium duo præsertim requiruntur, probitas nempe, & doctrina, earumque utraque est in Seminario comparanda; probitas tamen magis est necessaria, quam doctrina; adeoque in probitatis studio magis est Seminaristis laborandum; eo vel maxime quia virtutum acquisitio potius in uniuscujusque Seminaristæ assiduitate, & industria, Christi adjuvante gratia, posita sit, quam in Rectorum, aut aliorum Magistrorum diligentia; ita ut nisi quis studium in assequenda probitate & virtute adhibeat, parum vel fere nihil ei aliorum vigilantia profutura sit.

6 Hoc tamen non obstante, Rectores quoque, aliique Magistri omnem diligentiam adhibere debent, ut Seminaristæ relata vitæ ornamenta assequantur; cum enim in omni Republica certa sit regula, tales haberi cives, quales instituuntur, & juvenum ætas, quamvis ut plurimum prona sit ad otium & voluptates, est etiam ad virtutes flexilis; unde majores si bonis operibus eos præeant, non minus literariis studiis, quam librorum spiritualium lectione, Sacramentorum frequentia, patientia, benignitate, caritate, aliisque Christianis virtutibus, ad eam vitæ rationem facillime pervenient, quæ in iis, qui populorum doctores, & pastores futuri sunt, elucere debet: & quoniam ad hunc finem consequendum etiam juvare potest deputatio Confessariorum, qui uniuscujus-

cujus-

cujuſque vitam, & mores exploratos habent, Confeſſarii etiam ſeligantur, qui vel ad officia revocare valeant renuentes, vel confirmare, qui viam mandatorum Dei incedunt.

7 Quam ob rem animo repetat Rector, quam grave humeris ſuis onus incumbat, cum ejus exemplo, & fide erudiendi ſint, qui in Seminario vivunt, & ab ejus inſtitutione totius Dioeceſis reformatio pendeat; hinc ut qui ejus fidei commiſſi ſunt, eos fructus e Seminario percipiant, quos Tridentini Patres ſibi propoſuerunt, & univerſa Eccleſia expectat, ita mores ſuos componat, ut qui ei ſubjecti ſunt, in ipſo, tanquam in ſpeculo, vitam, ad quam ſe fingere debent, inſpiciant.

8 Quæ diximus de Rectore, qui ſub Epiſcopo primam & præcipuam Seminarii curam habet, dicta ſint etiam de Magiſtris, & omnium Diſciplinarum Profeſſoribus: communicent ſine invidia, quæ ſine fictione didicerunt; ſed ob oculos habeant ea, quæ decent ſanam doctrinam, verbum ſanum, irreprehenſibile, & in omnibus ſe præbeant bonorum operum exemplum; cum non minus Parentum, quam Præceptorum mores æmulari contendat inexperta juventus.

9 Sint Magiſtri, Profeſſores, & Rector ad invicem concordes, & invicem, ut debent, ſe diligant, ut in Deo maneant, & Deus in eis; & ad evitandam inter eos omnem omnino di-

ſcordiarum umbram, quæ Seminariorum peſtis eſt, caritative, & civiliter ſe tractent: & ſi caſu, quod abſit, invidia impellente, vel ſuggerente Diabolo aliqua in Seminario diſcordia oriatur, Epiſcopus repente de ea certior fiat, ut Dei auxilio, Auctoritateque ſua animos componat.

10 Seminarii Præfecti, qui a Rectoris nutu pendere debent, ſeligantur probi & pii, curentque omnino, ut juvenes Seminarii leges ad mores, & ſtudia ſpectantes, inviolate ſervent; & ſi tranſgreſſores fuerint, Rectori eos denuncient, ut ab ipſo caritative primum moneantur, vel pertinacia ingraveſcente, pœnis etiam juxta Seminarii conſuetudinem puniantur.

11 Nunquam in Seminario admittantur, nec etiam ut convictores, qui dignoſcuntur (maxime ſi unici ſint) in ſtatu Eccleſiaſtico haud perſeveraturi, ſed tanquam unigeniti uxores ſuſcepturi; hoc enim apertiſſime eſt contra Scopum, quem in Seminariorum inſtitutione Tridentina Synodus ſibi præfixit.

12 Alumni, & Convictores ſine diſcrimine æquo jure habeantur, omneſque ea, qua decet caritate, tractentur, etiam in victu ſingulis diebus eis tribuendo, quæ a Deceſſoribus noſtris, & a Nobis ſtatuta ſunt juxta Tabellam in publico Refectorio appenſam.

13 Monemus demum, atque hortamur omnes, & ſingulos Seminariſtas, ut cum tempore feria-

feriarum, vel alia urgente necessitate ad proprias domos se transferunt, modeste, devote, & quemadmodum juvenes Deo dicatos decet, vivant: Ecclesiæ, maxime Festivis diebus, inserviant, Sacramenta adminus bis in mense frequentent, singulis diebus Sacerdoti Sacrum facienti inserviant, incedant in habitu talari; & omnibus exemplum, & bonum odorem vitæ Ecclesiasticæ præbeant; de quibus omnibus ad Parochos, & ad alios Ecclesiarum Rectores spectabit, Nos distincte certiores facere, ut tempore Ordinationis Generalis secundum Deum, & conscientiam providere possimus; & si Parochi, vel Ecclesiarum Rectores aliquo ducti amore, vel odio, non secundum Deum, & veritatem Nos certiores reddant, ultra peccatum, cujus se apud Deum reos constituunt, erunt pœnæ ducatorum decem piis usibus &c. irremisibiliter subjecti.

TITULUS. XV.

De Archivis, & Inventariis Bonorum Ecclesiasticorum, ac eorum Archivariis.

1 BOna Ecclesiastica, quæ Christi, ejusque Ministrorum, ac pauperum Patrimonia sunt, ut sacrilegis usurpatorum manibus vindicentur, primævoque suo, ac legitimo juri restituantur, ac in eo, prout decet, conserven-

tur, officium, & Auctoritatem nostram interpellant; quare hac nostra Dioecesana Synodo approbante, ea, quæ sequuntur, statuimus, & mandamus.

2 Episcopale Archivum in Episcopio, & loco tutiori, atque commodiori, & non humescente erigatur, ut Nos jam a loco humescente, in quo erat, ad locum tutiorem, in quo temporis lapsu, scripturis in Archivo contentis nulla pernicies inferretur, transtulimus, & in meliorem formam redegimus.

